

De
auguribus Romanis commentationis
pars prior.



Sc̄ripsit
Stanislaus Maroński.



De

auguribus Romanis commentationis

pars prior.

scripsit

Stanislaus Maronius



Insuper atque innata est animis nostris opinio de constanti Dei praesentia atque cura. Ex hac quidem opinione quod profectum est studium cognoscendae divinae voluntatis apud populos antiquos effecit, ut permultis viis atque rationibus haec deorum voluntas exquireretur. Quorum populorum quum maximus sit numerus, satis mihi erit, ex libris, quos Cicero de divinatione scripsit Assyrios, Chaldaeos, Aegyptios, Arabes, Cilices, Pisidas, Graecos, Etruscos, Marsos, Umbros, Sabinos, Romanos commemorare. Investigationem illam atque cognitionem, quam dixi, Romani divinationem, Graeci *μαντικήν* appellabant. Divinandi autem duo erant genera, quorum alterum artis erat, alterum naturae ¹⁾. Divinatio quidem naturalis est, quum animus quodam afflatu quasi furoris atque impetu divino excitatus, sicuti in oraculis fieri solebat, vatem impellit, ut deorum indicet voluntatem. In artificiosa vero divinatione nullus est motus deorum, nullus impulsus; constat hoc divinandi genus potius ex ea signorum a deo missorum conjectura atque observatione, sine qua homo, quod deus secum communicaverit haudquaquam sentire possit ²⁾. Quemadmodum autem illa divinatio naturae diligentissime apud Graecos excolebatur, ita haec quae erat artis apud populos Italiae maxime valebat. Utebantur enim hoc divinandi genere Marsi, utebantur Sabini nec non Umbri et Etrusci ³⁾. Sed praeter ceteros in hoc certe numero ponendi videntur Romani, qui quum multa alia signa observitabant, tum volatibus avium cantibusque quod ipsum auspiciam vel augurium nominabatur, voluntatem deorum declarari putabant. Quo factum est, ut Romani, quippe qui in avibus animadvertendis diligentissimi fuissent, avium divinationem tanquam suam neque alicunde repetitam suo sibi jure vindicaverint. Quamobrem auspicia quoque tantum valuerunt in republica Romana, ut nihil fere majoris rei nisi auspiciato, ne privatim quidem, gereretur ⁴⁾. Atque apud viros illos, quorum erat voluntatem deorum signis certis exquirere, augures dico, ea erat vis atque auctoritas, ut interpretes internunciique Jovis optimi maximi haberentur ⁵⁾. Neque minus eorum maximum et praestantissimum in republica jus fuisse, quis est, qui nesciat? Poterant augures concilia convocata dimittere et jam habita rescindere, ut summi magistratus et ii penes quos summa erat potestas iis cedere cogerentur; poterant si alio die dicebant rem susceptam dirimere, poterant decernere, ut magistratu se abdicarent consules; poterant cum populo, cum plebe agendi jus aut dare aut non dare; poterant legem, si non jure rogata erat tollere ⁶⁾.

Erant igitur auspicia propria populi Romani. Verumtamen nonnulla ad Romanos in hoc ipso divinandi genere translata videntur. De ea quidem re maxima inter viros doctos est dissensio,

1) Cic. de Div. I, 6, 11. — 2) Cic. de Div. I, 6, 11; 49, 109; II, 11, 26. — 3) Cic. de Div. I, 42. — 4) Cic. de Div. I, 16, 28; 2, 3; Valer. Max. II, 1, 1; Livius VI, 41; Serv. ad Aen. I, 346; IV, 45; IV, 340. — 5) Cic. de Legg. II, 8; de Nat. Deor. II, 4; Phil. XIII, 5, 12; Virgil. Aen. X, 175; III, 358; IV, 356; Horat. Od. I, 10, 5; Liv. I, 7; Sen. Troad. 355. — 6) Ea de re satis copiose, et accurate disputavit de Kitzlitz in dissertatione de auguribus potentiae patriciorum quondam eustodibus. —

ut alteri nihil, alteri omnia fere Romanos sive ab Etruscis sive ab aliis populis Italiae in hac disciplina sibi sumpsisse contendere videantur. In illorum numero Marquardtius ⁷⁾ est, inter hos praeter reliquos Odofr. Muellerum ⁸⁾ inveneris.

At utrique fortasse non recte judicaverunt. Enimvero negari non potest, Romanos, eum et Etrusci et ceteri populi Italiae avium significationibus haud dubie obtemperaverint, nonnulla ab his populis quum in aliis rebus tum in hac ipsa disciplina ad suum usum revocasse. Quae quidem sumpta sunt, commutatione facta ita ad ipsam conditionem atque naturam Romanorum accomodata sunt, ut eorum fere propria esse videantur. Quamobrem quid Romanorum proprium sit, quid non, ad dijudicandum perdifficile est. At hac de re suo loco dixerō.

Jam id ante omnia respiciendum est, quid sit auspiciū, quid auguriū, cujus quidem discriminis ne ipsi quidem scriptores Romani rationem habent. Ea enim his duobus vocabulis vis expressa est, ut et avium inspectionem cognoscendae divinae voluntatis causa, et ipsam cognitionem significent ⁹⁾. Utrumque pro quolibet signo vel petito vel non petito, dummodo aliquid portendat, ponitur ¹⁰⁾, unde fit, ut auspiciū atque auguriū non raro idem valeat, quod omen portentumve ¹¹⁾. Quid quod vocabula illa ita secum conjuncta saepe inveniuntur, ut unam eandemque significationem prae se ferant ¹²⁾. Quae quum ita sint, sine ulla tamen dubitatione confirmaverim, id quid Beckerō quoque probari videtur ¹³⁾, haec verba suam quodque habere propriam significationem. Rubinus ¹⁴⁾ quidem ullam vocibus illis antiquissimis temporibus fuisse diversitatem significationis negat, sed scriptores Romani aetate posteriores illud demum discrimen ei fecisse videntur. In quam Rubini sententiam tantum abest, ut discedam, ut eam refellendam esse censeam. Quemadmodum enim in nulla lingua verba reperiantur, quae non certum exprimant sensum, atque quemadmodum suam quodque vocabulorum genuinam ac propriam primo habet notionem, ita etiam primis temporibus aliud quid auspiciū, aliud auguriū significabat atque decursu tantum temporum factum esse videtur, ut conflatis confusisque notionibus illa vocabula sine ulli discrimine in usum vocarentur.

Ut autem, quomodo auguriū et auspiciū inter se differant, statuamus, unde verba haec ducta sint, diligenter nos investigare oportet.

Vocem auspiciū, quemadmodum a Festo ¹⁵⁾ expressis verbis refertur, si ab ave specienda ductam esse putaveris, nullo pacto errabis. Est igitur auspiciū principalis vis ac propria, ut ex Nonii ¹⁶⁾ et Servii ¹⁷⁾ verbis quam luculentissime apparet, avium quaramlibet et petitarum et non

7) Beck. Antiqu. Rom. cont. Marqu. IV, 345. — 8) Muell. Rer. Etrusc. II. — 9) Inter multos alios hos saltem locos laudare velim: Hinc Remus auspicio se devovet. Enn. ap. Cic. de Div. I, 48, 107. Id enim silentium dicimus in auspiciis. Cic. de Div. II, 34, 71. Maluit enim disserere nihil esse in auspiciis, quam quid sit ediscere. Ibid. I, 47, 105. Quid de religionibus atque auspiciis loquar. Liv. VI, 41. Primo consulatu et auguriū capienti. Suet. Octav. c. 95. Augurio acto. Cic. de Div. I, 47. Conferas quoque Cic. de Off. III, 16; de Div. I, 2; de Rep. II, 9. — 10) Auspiciis addicentibus. Tac. Ann. II, 14. Interpretes auspiciorum. Cic. Phil. V, 4, 9. Priori Remo auguriū venisse. Liv. I, 7. Ut dii auguriis legerent. Liv. I, 6. — 11) Auguriū haec (mustela facit) Plaut. Stich. III, 2, 10. Liquido exeo foras Auspicio. Plaut. Epid. II, 2, 2. — Livius (I, 34) postquam dixit: Accepisse id auguriū laeta dicitur Tanaquil, tum subjungit mox: perita (Tanaquil) coelestium prodigiorum mulier. Cf. Cic. de Div. II, 36, 77; II, 18, 43. Plaut. Stich. III, 2, 6; Pseud. II, 4, 72; Men. V, 9, 88. — Plin. Hist. Nat. XVIII, 12, 119; VIII, 22. Ovid. Fast. IV, 833 — 835. Suet. Nero c. 41. Cic. de Senect. c. 4. Catull. 45, 19. Propert. I, 3, 28. Valer. Max. IV, 6, 1. Sil. Ital. IV, 104. — 12) Dant operam simul auspicio augurioque. Enn. ap. Cic. de Div. I, 48. Auguriis auspiciisque. Liv. XXVI, 41, 18. — 13) Beck. II, 3, 69, n. 246. — 14) Quaest. de rep. Rom. I, 45. — 15) Fest. s. v. auspiciū. — 16) Non. 429, 26. — 17) Serv. ad Aen. I, 398: Auspiciū qualibet avi demonstratur et non petitur.

petitarum inspectio et quae ex volatu earum et vocibus signa eduntur. Quod attinet ad augurium in maxima sententiarum discrepantia scriptores quum veteres tum recentiores versantur. Ita quidem Dionysius Halicarnassensis dicit¹⁸⁾: οὗς ἀφ' ἑνὸς εἶδους τῆς τέχνης, τῶν θεοσημάτων, Ποιῶσι καλοῦσιν Ἀυγούρας. Suetonius¹⁹⁾ autem: „(augurium) ab avium gesta garritive.“ Festus²⁰⁾ vero: „ab avibus gerendoque dictus (augur) quia per eum avium gestus edicitur; sive ab avium garritu, unde et augurium.“ At Lindemann²¹⁾: „Augur non ab avibus, multo minus ab avium gestu garritive, verum a radice aug, Sanscrit. akschi, quaererecurrit in Germanorum Auge, Lat. oculus, Graeco. ὄμμα, ὄπτα, ὄφθαλμός. Addita autem ur syllaba terminalis verbale efflingit substantivum coneretae notionis, ut sit aug-ur, ὁ οἰωνοσκόπος.“ Döderlein²²⁾ autem augurium ab Graeco αὐγή, αὐγάζομαι derivandam putat. Mihi quidem una et ea vera esse videtur derivatio, quae augurium ab ave et gerendo duxerit. Hartungius²³⁾ idem sentit mecum. Etenim syllaba au in augurio ex voce avis perinde facta est atque in auspice, aucella, aucupe. Syllaba gur autem in voce auguris antiquitus ger fuit, ita ut pro augure diceretur auget²⁴⁾. Gerque syllaba sicuti in armigero, armigero, clavigero ex decurtato gerendi vocabulo profecta est. Ex hac vero enodatione augurii vera ac propria significatio hujus vocis deduci facillime potest. Avis enim hoc loco idem valet ac signum atque omen, vocique gerendi subest vis administrandi pariter ac dicimus: magistratum, consulatum, bellum gerere. Notio autem publice administrandi certe quidem propria est augurii atque ea, ut nulla re longius abesse ab auspicii notione videatur. Augurium enim erat cognitio divinae voluntatis publice instituta, atque ita instituta, ut nullis nisi certis petitisque fieret signis. In auspiciis quum primo nihil aliud nisi aves et eae omnes proprie observarentur, in auguriis et certae aves, et certa alia signa²⁵⁾, sicuti infra videbimus, voluntatem deorum indicabant. Ita etiam intelligenda sunt verba Ciceronis²⁶⁾: „Publici augures signis et auspiciis ostenta vidento.“ Auspiciis enim aves, signis alia, quae in auguriis servari solerent signa, intelligi voluisse mihi videtur. Quamobrem Servius²⁷⁾ recte, ut opinor, haec dixit: „Hoc enim interest inter augurium et auspicium, quod augurium et petitur et ostenditur, auspicium qualibet avi demonstratur et non petitur, quod ipsum tamen species augurii est²⁸⁾.“ Deos autem publice consulere atque signa divinitus missa interpretari augurum erat, qui quam omnem disciplinam auguralem instituebant, tum etiam rationem servabant, quomodo dii quum in aliis tum praesertim in rebus publicis gerendis consulere²⁹⁾. Sed his circumscripti erant finibus, ut de actione publica non suo arbitrio sed magistratus tantum jussu, quum ei in auspicio essent, divinam voluntatem quaerere possent³⁰⁾. Ex qua quidem re aliud profectum est discrimen inter augurium et auspicium. Quae signa augurii acto apparebant ea augur augurium, magistratus

18) Dion. Hal. II, 64. — 19) Suet. Oct. c. 7. — 20) Fest. ed. Lind. p. 2. — 21) Corpi Gramme Latt. II, pars 2, pag. 299 s. v. Augustus. — 22) Synonym. s. v. augur. — 23) Rel. Rom. I, 99. — 24) Antiqui augur et auguratus dicebant. Priscian. I, 6, 36. — 25) Nonius, 429, 26. — 26) De Legg. II, 8. — 27) Ad Aen. II, 328. — 28) Marquardius (II, 3, 69, n. 46) quidem repugnantiam suspicatur in his Servii (ad Aen. IV, 190) verbis: „Auguria sicut aut oblativa, quae non poscuntur, aut impetrativa, quae optata veniunt.“ At immerito vituperasse Servium mihi vir doctissimus videtur. Prioro enim loco signis ex qualibet ave (auspiciis) opponuntur signa et ex avibus et ex aliis rebus, sed non ex qualibet ave, verum ex caelis (auguria). At altero loco tantummodo sunt intelligenda signa certa, i. e. auguria, quorum, quippe quod in observatione ab auguribus non omnia simul optarentur, quae optata veniunt, i. e. impetrativa, opponuntur iis, quae non poscuntur, i. e. oblativa. — 29) Cic. de Legg. II, 8, III, 4, et alibi. — 30) Marquo II, 370 seqq.

a) Quaedam ista fuerint, vid. infr.

tus vero, qui augurem auspicia captare jussit, auspiciū appellabat. Quamobrem quoque dicitur: augurio auguris,³¹⁾ auspiciis consulis. Haec autem respiciens auspiciū proprie publicū³²⁾ aut populi Romani³³⁾ dicebatur, quamquam saepissime verbis his minime additis idem significabat.³⁴⁾ Propterea autem quod munere publico fungebantur, atque quod rei publicae causa instituti erant, augures publici³⁵⁾ nominabantur. Atque si minus ministri sacrorum habebantur, neque caerimoniis praecerant, quam ob causam in sacerdotum numero non ponebantur,³⁶⁾ tamen si quidem res divinas facerent et interpretes deorum essent, in sacerdotibus publicis numerati sunt.³⁷⁾ Praeter hos augures, qui publice deos consulebant, interpretes, qui privatim deorum voluntatem exquirent, fuisse, quomodo negari possit, non video. Jam enim, id quod Cicero et Livius certissimis verbis declant, non solum publice apud Romanos, verum etiam privatim auspiciatum esse pro certo habeo.³⁸⁾ Auspicari autem cuivis etiam peregre licuisse, Servius affirmat.³⁹⁾ Itaque Attus Naevius, Tarquinio Prisco regnante, non publicus, verum is erat augur, ad quem homines privati de rebus suis referrent.⁴⁰⁾ Niebuhrus quidem Naevium augurem publicum fuisse vult, at merito mihi a Goettlingio refutatus videtur.⁴¹⁾ Satis enim luculenter Dionysius dicit⁴²⁾, urbanos augures, i. e. publicos Naevium, quippe qui feliciter divinaret, ut sibi auxilio esset in divinatione, accessivisse. Quid? quomodo Tarquinus, si jam publicus fuisset Naevius augur, id quod fecit⁴³⁾, sciscitari ausus esset, utrum hic augur divinationis peritus esset, an non? Fuerunt igitur in rebus privatis interpretes divinae voluntatis. Hi autem antiquitus proprie auspices nominabantur. Jam id Plutarchus quam luculentissime docet, quum dicit⁴⁴⁾: τῶν ἐν οἰωνοῖς ἱερέων, οὐδὲ ἀσπικίας πρότερον, ἀγρονεας δὲ τὴν καλοῦσιν. —

Quod autem tempore procedente et augures publici, auctoribus hominibus privatis⁴⁵⁾, auspicabantur, et praesertim haruspices, astrologi, Chaldaei de voluntate deorum consuli coepti sunt: auspices, qui ex volatu atque cantu avium privatim voluntatem divinam exquirent, paulatim submoti sunt. Nomen id tantum retinebant, re ommissa, auspices nuptiarum, qui in nuptiis adhibebantur, ut qui dies, quae hora fuerit auspiciata statuerent⁴⁶⁾.

31) „Ejus (Naevii auguris) augurio rex . . . maxima bella gessisset.“ Liv. I. — 32) Liv. IV, 2. — 33) Cic. de Dom. 14, 28. — 34) Rubin. I, 46, n. 2. — 35) Interpretes publici augures, Cic. de Legg. II, 8. „Auguri publico parento.“ Cic. ad Famil. VI, 6. „Auguri publico, P. R. Q.“ Gruteri Inscript. 27, 4; 28, 6. Festus, s. v. Quinque. — Quod tamen auguratus non fuit magistratus, et ipsi augures pro hominibus privatis habebantur, cf. Liv. IV, 54. — 36) „Quumque omnis populi Romani religio in sacra et in auspicia divisa sit“ Cic. Nat. Deor. III, 2, 5. — Tum quoque discrimen inter augures et sacerdotes interesse his cognoscitur locis: Cic. de Legg. II, 8; III, 12. Plut. Quaest. Rom. 99. Varro de Ling. Lat. V, 83. — 37) Liv. I, 18; XXVII, 6; XXX, 26; Cic. de Div. I, 40, 89; ad Fam: III, 10; XV, 4; Suet. Claud. c. 4; Val. Max. 13, 3; Plin. H. N. VIII, 28, 42. — 38) „Nihil fere quondam maioris rei nisi auspiciato ne privatim quidem gerebatur“ Cic. de Div. I, 16. — „Perturbationem auspiciorum publicorum privatorumque.“ Liv. IV, 2. „Et privatim auspicia habeamus.“ Liv. VI, 41. „Apud antiquos non solum publice sed etiam privatim nihil gerebatur nisi auspicio prius sumto.“ Valer. Max. II, 1, 1. — 39) Ad Aen. III, 20. — 40) Dion. Hal. III, 70. Cic. de Div. I, 17. — 41) Antiqu. Rom. p. 200 n. 18. — 42) εἰς ἀπάσας δὲ τὰς δημοσίας ἐπισκέψεις οἱ τῆς πόλεως οἰωνομάντιες οὐκ ὄντα ἐκ τοῦ συστήματος παρεκάλουν αὐτὸν διὰ τὴν ἐπιτυχίαν τῶν μαντευμάτων, καὶ οὐδὲν ὅ, τι μὴ δόξειεν ἐκείνῳ προὔλεγον. — 43) Dionys. Hal. I, 1. — 44) Quaest. Rom. 72. — 45) „Vates canebant publice privatimque nunc extis, nunc per aves consulti.“ Liv. II, 42. — 46) Cic. de Div. I, 16; pro Cluent. 5. Serv. ad Aen. IV, 45. Valer. Max. II, 1, 1. Plaut. Casin. prol. 86. Liv. XL, 11, 12. Tacit. Ann. XI, 27; XV, 37. Suet. Claud. c. 26. Juven. X, 336. Schol. Lucan. II, 371. Schol. Claudian. in Ruf. I, 1, 83. Senec. Troad. IV, 1. Quintil. decl. 291. Symm. Epist. IV, 14 et Juretus ad hunc locum p. 143.

Præterea vocabulum illud, quum a scriptoribus veteribus et optimis perraro usurpatur, nisi apud poetas et apud eos scriptores, qui post Augusti aetatem vixerunt, non reperitur. Hi autem augures, quum publici tum privati, eo differunt ab vaticibus Graecis, quod cum hi afflatu divino conceitati futura praedicent, illi artem suam et ex litteris et ex sermone perceptam factitabant. Omnino vero apud Graecos divinatio sancta atque religiosa fuit, sed apud Romanos tantummodo ad usum vitae quum privatim tum publice instituendae pertinuit. Itaque vaticibus Graecis vaticinandi facultas incredibili quadam et prope singulari ac divina ratione a diis tribui videbatur. Amphiarus, ut exempla pauca proponam, divinationem in illa domo vaticina, quae Phliunte erat, dormiens accepit.⁴⁷⁾ Neque minus dormientem Melampum vaticinatione imbuerunt, quos aluerat, serpentes, purgando aures ejus linguis suis.⁴⁸⁾ Cassandra,⁴⁹⁾ Polyphides⁵⁰⁾ Branchus¹⁾ ab Apolline divinationem accepisse dicuntur. Quid quod universae gentes a diis praeclarissima hac praeditae erant arte? Quod quidem quum de multis aliis tum maxime de Melampi, Argivorum regis, gente narratur.²⁾ Tum etiam vates hos Graecos a diis quam maxime dilectos esse traditum est, inter quos tantum Calchantem, Helenum, Theoclymenum, qui Jovi, Amphiarum, Branchum, qui Apollini carissimi fuisse dicuntur, commemorare satis erit. Eo usque vero ventum est, ut vates filii deorum et nympharum haberentur. Ita quidem Branchum,³⁾ ita Mopsum⁴⁾ filios Apollinis fuisse inter omnes constabat. Reges ipsi, qui divino se sanguine ortos esse crediderunt,⁵⁾ potissimum inter vates reperiuntur. Tales fuerunt Amphiloehus et Mopsus, Argivorum reges iidemque augures,⁶⁾ tales Amphiarus,⁷⁾ rex Argivorum, et Helenus,⁸⁾ filius Priami, rex Epiri. Cum autem clarissimi antiquitatis vates genus suum a diis ipsis repeterent, Graeci memoriam horum vatium divinis honoribus pie et religiose prosequuntur. Hanc ob rem Amphiloehus⁹⁾ et Amphiarus¹⁰⁾ Oropi, Argis et alibi pro diis colebantur, Cassandrae Leuctris templum erat sacrum¹¹⁾, Melampus Aegosthenae,¹²⁾ Mopsus a Cilicibus in deorum numero habebantur. Multo autem aliter res se habebat apud Romanos. Apud quos quum augures neque divino abrepti spiritu neque divino suo genere freti vaticinarentur, trita atque usitata via, i. e. discendo, artem divinandi consequuntur, et quicumque ingenio excellebat, occasione ad perdiscendam artem illam data, auspex optimus fieri poterat. Ita quidem Romulus et Remus Gabios delati disciplinam auguralem didicisse dicuntur.¹³⁾ Ita quoque pater Naevii, quum in filio quaedam semina artis divinandi atque igniculos inesse suspicatus esset, eum Etruscorum doctori celeberrimo, ut artem augurandi ediceret, tradidit, unde effectum est, ut Naevius ceteros omnes arte sua longe superaret.¹⁴⁾ Neque vero eam ob causam evenire potuit, ut, id quod apud Graecos usu venisse modo intelleximus, gentes singulae potestatem exercendae artis divinandi sibi solis datam putarent. Quod si interdum accidit, ut patrem in auguratus honore filius, aut gentilis gentilem sequeretur, factum est, quantum equidem judicare possum, propterea quod Romani dignitatem atque gratiam aut gentis universae aut hominis ejusdem gentis respiciendam esse censebant. Quanquam reges in Romana civitate aequae atque apud Graecos fuerunt augures,¹⁵⁾ nihilominus in eo reperitur discrimen, quod Graeci reges propterea quod diis sanguine non alieni esse sibi viderentur, vates putabantur, Romani autem quod civitati

47) Paus. II, 13, 6. — 48) Apollod. I, 9, 11. — 49) ibid. III, 12, 5. — 50) Odyss. XV, 252. — 1) Luct. ad Stat. Theb. VIII, 198. Conon. Narr. 33. — 2) Odyss. XV, 242. — 3) Cf. n. 1. — 4) Val. Fl. I, 384. — 5) *Ἐξ δὲ Διὸς βασιλῆες, διογενεές, διοργεγέες.* Ita apud Homerum. — 6) Cic. de Div. I, 40. — 7) Odyss. XV, 242; Apollod. I, 9, 11. — 8) Aen. III, 294—490. — 9) Liv. XLV, 27. — 10) Paus. I, 34, 3. — 11) ibid. III, 26, 3. — 12) I, 44, 5. — 13) Plut. Rom. c. 4. — 14) Dionys. Hal. III, 70. — 15) Cic. de Div. I, 40.

praecerant, quum in rebus humanis tum divinis, augures fuerunt. — Restat, ut disputem, quid divinatione Graeci, quid Romani augures proprie cognoscere voluerint. Graeci quidem oraculis et avium reliquorumque signorum observatione res futuras, quae et quales eventurae essent, se praedicere affirmabant, ut ille Calchas prodigio quodam admonitus, fore ut in decimum usque annum bellum Trojanum extraheretur Graecis vaticinatus est;¹⁶⁾ augures autem Romani, quum primi essent, non auspicabantur nisi ut auctoritatem rerum bene gerendarum a diis impetrarent. Qui quum hac ratione quoque staterent, quomodo res eventurae essent, factum est, ut praenuncii rerum futurarum haberentur.

Auspiciatum autem jam apud illos populos est, a quibus Romani originem suam ducunt. Ita quidem Picus, rex Latinorum,¹⁷⁾ peritissimus artis vaticinandi fuisse dicitur.¹⁸⁾ Et apud Sabinos morem et ritum auspicandi jam antiquissimis temporibus valuisse inde perspicuum est, quod homo Sabinus Numa, ante quam oblatum sibi regnum Romanum acciperet, Curibus augurio acto deorum voluntatem exquisivit.¹⁹⁾ Romae autem inde a primordiis urbis auspicia vel maximam vim omnibus in rebus habuisse inter omnes constat. Cicero,²⁰⁾ Dionysius Halicarnassensis,²¹⁾ Livius,²²⁾ Plutarchus,²³⁾ quum urbem auspiciato conditam esse tradant, Romulum auspicia, illud fundamentum reipublicae peperisse atque augures rerum gerendarum causa esse voluisse²⁴⁾ expressis verbis referunt. At Numa Pompilius, quemadmodum omnino quae quasi semina et principia cultus divini Romulus posuerat,²⁵⁾ ea perfectiora reddidit, ita et quod regnante Romulo nullum erat augurum, collegium constituit summum et amplissimum.²⁶⁾ Sic quoque intelligendus est Livius, quum dicit:²⁷⁾ „augures Romulo regnante nulli erant, ab Numa Pompilio creati sunt.“ Etenim quum jam ante Numam regem augures fuisse commemoret,²⁸⁾ atque id sacerdotium publicum a Numa institutum esse affirmet, nihil aliud nisi collegium intelligi verbis illis voluit.

Jam venio ad quaestionem, quantus fuerit numerus augurum. Dionysius Halicarnassensis²⁹⁾ ita a Romulo constitutos esse narrat augures, ut singuli essent ex unaquaque tribu. Ex eo autem quod capite septimo³⁰⁾ libri secundi, tres a Romulo institutas esse tribus tradit, conjici potest, ex Dionysii opinione tres initio augures statuendos esse. Cicero etiam Romulum, qui sibi omnibus publicis rebus instituendis essent in auspiciis, ex singulis tribubus singulos augures cooptasse dicit.³¹⁾ Quamobrem, si quidem, id quod verisimile est, Cicero Romulo regnante tres fuisse tribus putavit, ille eodem modo quo Dionysius tres augures statuuisse videtur. Quum autem capite quarto decimo libri secundi, ubi disputatur de republica, Numam ad pristinum numerum duos augures addidisse auctor sit, inde ab hoc tempore quinque augures Ciceronem statuuisse, conclusionem facere possumus. At Livius aliter. Hic quidem, quo tempore lata est lex Ogulnia (454. ab Urbe,) quattuor fuisse augures dicit;³²⁾ verum ante hanc legem sex fuisse suspicatur. Quid autem causae fuerit, cur ad quattuor augurum numerum id redactum sit collegium, cum, sicuti Livius vult,³³⁾ inter

16) Iliad. II, 300. — 17) Tzetzes, Lykophron, 1232. — 18) Festus, s. v. Picus, Virg. Aen. VII, 188 et Heynii Excurs. V. — 19) Plut. Numa, c. 6. — 20) De Div. I, 2, 3; II, 33, 70; de Rep. II, 9; 10, 17. — 21) I, 88. — 22) I, 18. — 23) Romul. — Dion. Hal. II, 22. — 24) ἄλλ' ὁ τὰ σπέρματα καὶ τὰς ἀρχὰς αὐτοῖς παρασχὼν . . . τῶν περὶ τὰ θεῖα νομίμων Ρομύλος ἦν. Dion. Hal. II, 23. — 25) τὴν δὲ τετάρτην (διάταξιν) τοῖς ἐξηγουμένοις τὰ θεοπέμπτα σημεῖα καὶ διαροῦσι τῶν ἐστὶ πραγμάτων ἰδίᾳ τε καὶ δημοσίᾳ. Dion. Hal. II, 64. Cf. Liv. I, 18; IV, 4. — 26) Liv. IV, 4. — 27) Liv. IV, 4. — 28) Liv. I, 18. — 29) εἴτε πρὸς τοῦτοῖς εἴταξε μάντιν ἐξ ἐκάστης φυλῆς ἓνα παρῆναι τοῖς ἱεροῖς. Dion. Hal. II, 22. — 30) Τριχῆ νεῖμας τῆν πληθὺν ἀπασαν, ἐκάστων τῶν μοιρῶν τὸν ἐπιφανέστατον ἐπέστησαν ἡγεμόνα. . . ἐκάλει δὲ τὰς . . . μοίρας, τριβόνος. — 31) Cic. de Rep. II, 9. — 32) Liv. X, 6. — 33) I. 1.

augures imparem³⁴⁾ numerum esse debere constaret, et ipse Livius se nescire profiteretur. Omnes autem, quos laudavi scriptores consentiunt, augures ita esse institutos, ut suum quaeque antiqua tribus haberet augurem.³⁵⁾ At mihi quidem non ita plane videtur ut dixerunt. Angustioribus enim finibus quam Rammensium et Titiensium fuit Lucerum conditio quum in jure civili tum praesertim in jure sacro.³⁶⁾ Ita quidem ante Priscum regnantem Tarquinium religiones eorum adventiciae, sacra municipalia habebantur,³⁷⁾ unde factum est, ut tribus haec augure suo minime uteretur. Ipsi Titienses ab initio in jure sacro Rammensibus inferiores fuerunt,³⁸⁾ quanquam paullo post hos in republica administranda sacrarum non minus quam civilium rerum dignitate aequiparasse videntur. Quae quum ita sint, Romulo regnante ex Rammensibus tantum duo creabantur augures. Sin autem his auguribus adjeceris Romulum, qui et ipse augur optimus fuit,³⁹⁾ tres, sicuti Dionysius et Livius volunt, habebis augures. Cicero porro dicit⁴⁰⁾ a Numa ad pristinum augurum numerum duos esse additos. Hos quidem propter Titiensium tribum cooptatos esse affirmaverim. Si vero statuimus, id quod mihi verum videtur, neque Numam, neque qui post eum Romae vixerint reges, augures fuisse,⁴¹⁾ quattuor, quos et ante legem Ogulniam Romae fuisse constat statuendi sunt augures. Hunc igitur numerum quaternarium inde ab Numa regnante usque ad legem Ogulniam latam legitimam fuisse dixerim. Atque ita Niebubrius,⁴²⁾ Peterus,⁴³⁾ Ambroschius,⁴⁴⁾ Merclinius,⁴⁵⁾ Marquardtius⁴⁶⁾ binos augures ex Rammensibus et Titiensibus, non autem ex Luceribus cooptatos esse putant. At Goettlingius⁴⁷⁾ non item sentit. Hic quidem dicit aut unamquamque tribum suam habuisse augurem, et eam ob rem si regem adnumeraveris, quattuor fuisse augures, aut binos augures ex duabus tribubus creatos esse, ad quos quum reges accessissent, collegii numerum quinarium ortum, post reges autem exactos, quum pro his non substituti essent augures, ad quatuor esse redactum augurum numerum. At vero tribum Lucerum suos habuisse augures, atque reges post Romulum augures fuisse quum regem,⁴⁸⁾ haec Goettlingii argumentationes repudiandae mihi esse videntur.

Quum igitur quattuor ante legem Ogulniam augures fuissent, ipsa lege lata, quinque auguribus de plebe adjectis, ut ad novem viros hoc munus deferretur, placuit.⁴⁹⁾ Deinde Sulla collegium amplificavit, ut essent quindecim.⁵⁰⁾ Caesar denique uno adjecto numerum sedecim augurum explevit. 1)

34) Quasi vero senarius numerus sit impar! At Livius hoc loco summam ex multiplicatione numeri ternarii effectam intellexisse videtur, ut non solum terna et ter terna, sed etiam bis terna et quater terna pro numero impari sint. — 35) Dion. Hal. II, 22; Liv. 10, 6; Cic. de Rep. II, 9. — Huschkium (Serv. Tull. p. 63) dicentem, propter quattuor Servii regiones institutos esse augures, falso disputavisse jam Goettlingius, (p. 199) et Marquardtius, (IV, 191, n. 1128) recte judicaverunt. — 36) Ambrosch, Studien p. 213. Marqu. IV, 31. — 37) Ambr. 215 seqq. — 38) Ibid. p. 211, 2. — 39) Cic. de Div. I, 48. — 40) Cic. de Rep. II, 14. — 41) Sunt quidem, qui censeant omnes Romae reges et augures fuisse. In quam quominus discedam sententiam, nonnulla, quae me prohibeant habeo. Primum scriptores veteres quum certissimis verbis Romulum augurem declarent, de ceteris regibus id non faciunt. Deinde Numam ubicunque non ipsum, verum per augures deorum voluntatem exquisivisse certo gravissimi declarant auctores. (Liv. I, 18; Dion. Hal. II, 60; Plut. Numa. c. 7.) Denique, quum, ut ex illa narratione de Atto Naevio (Liv. I, 36; Cic. de Div. I, 17; Val. Max. I, 4; Dion. Hal. III, 70) patet, irrisor artis divinandi extitisset Tarquinius Priscus, atque collato loco, ubi Livius (I, 36) narrat, Tarquinium ad Naevium dixisse: „aves tuae“, apparet, eum augurem non fuisse. Ita enim dicere non potuisset, si ipse augur fuisset. — 42) R. G. I, p. 318; III, 411. — 43) Zeittafeln p. 19. — 44) Studien I, 194. — 45) Coopt. p. 97. — 46) R. A. IV, 347. — 47) Gesch. d. röm. Staatsverf. p. 199. — 48) Cf. n. 41. — 49) Liv. X, 6. — 50) Liv. Epit. LXXXIX. — 1) Dio Cassius, XLII, 51. —

Augurum creandorum modus aliis temporibus alius fuit. Romulum ipsum augures elegisse gravissimus auctor Cicero est.²⁾ Quum autem Numa collegium instituisset, inde ab hoc tempore opinor, usque ad legem Domitiam (650. a. u.) ita legebantur augures, ut primum aliquis ab uno alterove augure nominaretur, deinde per tabellas³⁾ collegii cooptaretur,⁴⁾ denique is ut inauguraretur,⁵⁾ id est, ut dii auspiciis petitis consulere, utrum illum virum augurem fieri juberent an vetarent.⁶⁾ Diem inaugurandi atque qui inauguraturus esset, is qui inaugurandus erat constituit.⁷⁾ Hic vero modus lege Domitia ita mutatus est, ut jus creandi augures ab collegio ad populum transferretur.⁸⁾ Quum tres⁹⁾ fere viri in concione¹⁰⁾ ab uno vel duobus ex collegio nominati essent — nec enim licebat a pluribus nominari¹¹⁾ — quem ex septendecim tribubus novem tribus legissent, is a collegio cooptandus erat, atque cooptatus ut antea inaugurabatur. Quae quidem lex Domitia, quum esset a Sulla (673 a. u.) abrogata,¹²⁾ ab Attio Labieno tribuno plebis (691 a. u.), auctore Caesare restituta est.¹³⁾ At inde ab Augusto imperatores ipsi ad arbitrium, neglecta majorum consuetudine, vel ultra numerum legitimum augures nominabant.¹⁴⁾

2) De Rep. II, 9. — 3) Marini, Atti e monumenti de fratelli Arvali, I, pp. 101, 163. Rubino p. 338. — 4) Cooptatus ille sacerdos fuit, qui neque a rege neque a Pontifice Maximo capiebatur, verum a collegio legebatur. At ita cooptabantur sacerdotes, ex quibus collegia constituta erant, alii vero, sicuti Flamines Dialis, Rex sacrificulus, virgines Vestales primo a rege postea a Pontifice Maximo capiebantur. Cf. Cic. de Rep. II, 9; Dion. Hal. II, 73; VI, 1; Liv. XL, 42; XXVII, 8; Val. Max. VI, 9, 3; Gellius N. A. I, 12. — Dionysius Halicarnassensis (II, 23) dicens, omnes sacerdotes jussu Romuli a curiis eligi debuisse, perinde in errore captus est, ac quem proxime eodem capite, qui augures essent, eos *ιεροσκότους* appellavit. Cf. Merclin. Coopt. p. 96. — Mirandum est, quod alter lapsus uno eodemque loco statim alterum sequitur. — 5) Liv. XXVII, 36; XXX, 26; Cic. Brut. I, cf. Kittlitz, p. 3. — 6) Cf. Rub. p. 243; Merclin. p. 122 seqq. — Witzschelius quidem in Pauli Encyclopaedia doctrinarum realium s. v. Sacerdos, quum omnes sacerdotes, tum et augures a regibus lectos esse vult, qua in opinione ei Livius (I, 3; I, 20), Dionysius (I, 76), Gellius (I, 12) praesidio esse videntur. Verumtamen his in locis virgines Vestales atque Flamines, at minime augures commemorantur, quamobrem ei assentiri non possum. Neque minus Goettlingius, quum a regibus atque post exactos reges a Pontifice Maximo augures lectos esse affirmet (p. 172) a vero longissime mihi discessisse videtur. Nititur enim vir doctissimus locis qui apud Livium (I, 3) et Dionysium (II, 66) inveniuntur. At hi nullorum sacerdotum nisi virginum Vestalium mentionem faciunt. Est sane locus apud Gellium, qui huic sententiae favere videatur. Hic enim (I, 12) dicit: „Flamines quoque Diales item pontifices et augures capi dicebantur. Cujus quidem opinionis auctor ei erat L. Sulla, qui in rerum gestarum libro secundo scripsit: „pontifex capiar?“ . . . augurem capiat?“ (ibid.). Sin autem primum vox capiendi, ubicunque de sacerdotibus agitur, ita intelligenda esset, ut non a collegio, sed a regibus et postea ab Pontifice Maximo creatos sacerdotes indicaret, atque si pro certo habere possemus, Sullam hoc verbo proprie usum esse: fortasse et Goettlingius et Witzschelius recte judicasse viderentur. At Sullam id non fecisse, ex eo satis elucet, quod et de ipsis Pontificibus capiendis dixit. Pontifices vero a collegio cooptatos esse non facile quisquam sit, qui nesciat. Ceterum sententiam illam refutandam esse, argumentum, vel gravissimum in eo, quod Cicero (Verr. II, 2, 51) de religione Syracusanorum refert, mihi, deprehendisse videor. Dicit enim: „Syracensis est lex religione, quae in annos singulos . . . sacerdotem sortito capi jubebat.“ Quo ex loco, quum qui per sortes eligantur sacerdotes non possint creari ad arbitrium unius viri, apparet, vocem capiendi de quovis sacerdote et de quovis eligendi modo etiamsi raro, at certe interdum usurpatum esse a scriptoribus veteribus. — 7) Cic. Phil. II, 43. — 8) Cic. de Leg. Agr. II, 7; Suet. Nero, c. 2. Vell. Patere. II, 12. — 9) Merclin, p. 139. — 10) Auct. ad Herenn. I, 11. — 11) Cic. Phil. II, 2. — 12) Pseudo Ascon. p. 112. — 13) Dio Cass. XXXVII, 53. — 14) Ibid. LI, 20; LIII, 17. Tac. Ann. III, 19, Hist. I, 2. Suet. Claud. c. 22.

Qua aetate is esse debuerit, qui augurem se cooptari vellet, non satis liquet. Romulus quidem, si habenda est Dionysio Halicarnassensi¹⁵⁾ fides, legem tulit, qua iussit creari sacerdotes, qui annum aetatis quinquagesimum jam praeteriissent. At lex haec, quo tempore libera erat respublica in oblivionem venisse videtur. Id ut eluceat, exempla, quae mihi quidem nota sunt, afferam omnia. Quintus Fabius Maximus Cunctator, ut Livius vult¹⁶⁾, augur LXII, ut Plinius tradit¹⁷⁾, LXIII annos fuit. Unde perspicuum est, eum non admodum provecta aetate auguratum adeptum esse. Q. Fabius Maximus, qui non filius, id quod Livius¹⁸⁾ dicit, verum nepos Cunctatoris fuisse videtur, anno quingentesimo primo ab Urbe augur inauguratus, mortuus est septem annis post admodum adolescens.¹⁹⁾ Quare eum adolescentulum augurem creatum, ut statuamus, necesse est. Idem de Ti. Sempronio Graccho refertur.²⁰⁾ Ti. Sempronius Longus anno quingentesimo quadragesimo quarto ab Urbe augur,²¹⁾ anno vero quinquagesimo et sexcentesimo consul²²⁾ factus est. Quum autem eum legitima aetate, id est quadraginta tres annos natum, hunc obtinuisse magistratum arbitremur, eum inter augures septem fere et viginti annos natum receptum esse statuendum est. Publius Scipio quum post quartum annum, quam pater Africanus Major annorum duorum et quinquaginta decesserat, augur cooptatus esset, tum ubi plurimum tricenarius fuisse²³⁾ videtur. Eodem modo Ti. Sempronius Gracchus, clarissimus ille tribunus plebis, quippe qui, quum nonnullos annos jam augur fuisset, nondum triginta annos natus interiret,²⁴⁾ admodum adolescens sacerdotium hoc nactus est. C. Claudius Pulcher anno sexcentesimo nono ab Urbe²⁵⁾ augur, anno quingentesimo septuagesimo quarto praetor,²⁶⁾ tertio post anno²⁷⁾ consul factus est. Ut eum legitima aetate hunc magistratum iniisse statuamus, praetor quadraginta, augur autem viginti quinque annorum creatus est. Neque minus P. Licinius Crassus, nondum tricenarius in augurum numero fuisse videtur. Fuit enim e filiis M. Licinii Crassi minor atque aliquot annis ante quam cum patre sexagenario²⁸⁾ bello Parthico interierat²⁹⁾, augur jam fuit.³⁰⁾ L. Marius Philippus, natus anno sexcentesimo undetricesimo, quum jam ante sexcentimum sexagesimum tertium annum augur fuisset,³¹⁾ non provectus aetate ad hunc ascendere potuit honorem. Quid? P. Lentulus Spinther, quo anno togam virilem accepit — sumi ea exacto decimo sexto aetatis anno solebat — eo et ipsum auguratum cepit.³²⁾ Nec vero negari potest, reperiri augures, qui grandiores jam aetate hoc adepti sint sacerdotium. Cicero quidem annorum LIV,³³⁾ Q. Flaminius LXII³⁴⁾, augures cooptati sunt. Ex his igitur exemplis persuasum esse nobis potest, rationem grandioris aetatis post expulsos reges plerumque habitam non esse.

Augures antiquissimis temporibus non eligebantur nisi ex patriciis. Lege Ogulnia demum lata (454 a. u.), ad quatuor augures patricos quinque plebeji adjecti sunt.³⁵⁾ Hac de re velim nonnulla mihi dicere liceat. Patricii, qui duce Romulo fundamenta reipublicae Romanae jecerunt, non dubitarunt, ut jam publica omnia jura habebant soli, eadem quoque ratione sacra in se trahere.

15) II, 21: τοὺς ἐπὶ πενήκοντα ἔτη. — 16) Liv. XXX, 26. — 17) II, N. VII, 48, 156. — 18) VIII, 13. — 19) Liv. XXXIII, 42. — 20) „Augur T. Sempronius Gracchus admodum adolescens.“ Liv. XXIX, 38. — 21) Liv. XXVII, 7. — 22) Liv. XXXIV, 42. — 23) Cf. Liv. XL, 42; XXXIX, 52; Justin. XXXII, 4; Polyb. X, 3; Flor. II, 6; Val. Max. V, 4, 2; Seneca de Benef. III, 33. Sil. Ital. X, 426. — 24) Plut. C. Grach. I. — 25) Liv. XXXIII, 44. — 26) Liv. XL, 37, 42. — 27) Liv. XLI, 8. — 28) Plut. Crass. c. 17. — 29) Ibid. c. 25. — 30) Cic. ad Fam. XV, 4, 6. — 31) Cic. de Legg. II, 12; Fasti Capit. Plin. H. N. II, 83, 85. — 32) Dio Cass. XXXIX, 37; Cic. p. Sestio, 69, 144. — 33) Cic. ad Fam. XV, 4. — 34) Anno enim quingentesimo duodesexagesimo trium annorum et triginta (Liv. XXXIII, 33) fuit, et undetriginta annis post augur cooptatus est. Liv. XLV, 44. — 35) Liv. X, 6 et 9.

Contendebant enim quum alia jura sacra tum maxime auspiorum jus, ex quo quidem maxima commoda ad rempublicam administrandam redundabant, a diis sibi traditum esse, ut, si illius juris cum plebe sibi societas esset, injuria deorum nefasque futurum esse videretur. Quamobrem plebejis etsi fas erat colere deos Romanos publicos, iisque fana exstruere, hic tamen cultus privatus tantum erat, atque expertes erant sacerdotalis officii publicisque rebus divinis tanquam otiosi spectatores intererant, ac ne hoc quidem omnibus in sacrificiis licitum erat,³⁶⁾ neque ullum habebant jus auspiorum. Quare dum patres jura sua retinere et ab omni humanitatis societate excludere plebejos cupiunt, hi omnibus viribus enitebantur, ut omnia jura, quum civilia, tum sacra impetrarent. Itaque ubi cum patribus in certamen summa contentione, maximo labore, egregia constantia atque temporum opportunitatis mirum quantum ratione habita descenderunt, victoriam reportabant. Ac primum quidem civilia jura petenda existimarunt, quorum gravissimum lege Licinia Sextia (388 a. u.) obtinuerunt jus consulatus, cum quo quidem jure conjunctum erat jus sacra publica populi Romani faciendi,³⁷⁾ nec non jus auspiorum. At nondum augures eos esse fas erat, quare si quidem consules plebeji in auspiciis toti in patriciorum augurum potestate erant, plebs nimium quantum ex arbitrio patrum etiam tunc pendebat. Est sine dubio quod miremur, quare plebi tam diu in mentem non venerit, ut de sacerdotiis contenderet, nec prius quam jus magistratuum impetraverit, ipsa jura sacra ut appeteret. Id quamquam verum est, propterea factum esse, quod plebs intelligeret ob eam, quae ex sacerdotiis impetratis in se redundaret potestatem, fore ut patres pertinacius sibi resisterent, vel quod putaret, impetrato jure magistratuum summorum si minus verbis, at re et veritate sacro quoque jure se potituros esse: tamen negari non potest, hac in re religionis quoque aliquam habitam esse rationem. Nam prius quam exploratum haberent plebeji gratane essent futura diis, quae suis auspiciis gererentur prospereque eventura nec ne, et metum et religionem iis obstitisse probabile est, ne ad jus sacerdotii eodem tempore una cum jure magistratuum aspirarent. Quum vero bella cum Samnitibus et Etruscis prosperrime gessissent,³⁸⁾ optimeque de republica meriti essent, quum P. Decius Mus coronas triumphales laureasque consulum plebejorum, quum domos plebejas spoliis hostium adfixis insignes³⁹⁾ numerare potuisset, sine ulla dubitatione ad sacerdotia ipsa accedere ausi sunt. Itaque Ti. et C. Ogulnii (454 a. u.) rogationem promulgarunt, ut quum pontificum augurumque numerum augeri placeret, ad eum numerum quot deessent de plebe omnes allegerentur.⁴⁰⁾ Quam quidem rogationem perlatam notissimum est.

At certe id constanter observabatur, ut qui virtutibus insignes et genere et honestate aliis praestarent, ii praeter ceteros augures cooptandi essent.⁴¹⁾ Quare plurimos augures, qui et ipsi summos gesserint magistratus, invenimus. Quapropter Q. Fabium Maximum augurem priusquam ullum magistratum caperet mortuum esse, tanquam aliquid memoratu dignum narrat Livius.⁴²⁾ Quid quod auguribus et alia sacerdotia, dumne officia inter se pugnarent, obvenire poterant?⁴³⁾ —

36) Ambrosch. p. 187. — 37) Liv. X. 7. — 38) Liv. X. 6. — 39) Liv. X. 7. — 40) Liv. X. 6—9. — 41) ἀρετῇ διαφόρως, Dion. Hal. II, 21. — Cic. de Rep. II, 14. Ti. Sempronium Gracchum ob virtutem magis quam ob nobilitatem in collegium augurum esse receptum narrat Plutarchus, (T. Gracch. c. 4). — 42) XXXIII, 42. — 43) Ti. Sempronius Longus (Liv. XXVII, 6) Pomponius Matho (Liv. XXIX, 28) decemviri sacris faciundis et augures, Q. Fabius Maximus (Liv. XXX, 26), Otacilius Crassus (Liv. XXVII, 6) augures iidemque pontifices fuerunt. —

Priusquam quisquam inter augures reciperetur, quam diligentissime et accuratissime examinandus erat. Jam primum corpore debebat esse integro,⁴⁴⁾ nec non integerrima vita, quam obrem qui augur eum nominavit idem juratus dignitatis iudicium faciebat.⁴⁵⁾ Neque sacerdotem qui cuiquam ex collegio esset inimicus cooptari licebat.⁴⁶⁾ Quo factum est, ut quum concordia atque amicitia in collegio esse deberet, augures speciem quasi familiae prae se ferrent, quare et privatae necessitudines inter eos conciliabantur. Ita quidem Appius Claudius, princeps senatus, vir consularis atque censorius, nec non augur in coena augurali Ti. Sempronio Graccho, auguri, filiae nuptias obtulit.⁴⁷⁾ Quin etiam augurum institutis sancitum erat, ut a quo nominatus esset augur, eum veluti in familia parentis loco colere deberet.⁴⁸⁾ Ceterum dicit Cicero:⁴⁹⁾ „Ut quisque aetate antecedit, ita sententiae principatum tenet: neque solum honore antecedentibus, sed iis etiam, qui cum imperio sunt, majores natu augures anteponunt.“ His ex verbis elucet, non qui diutius auguratum gesserit, sicuti Marquardtius vult⁵⁰⁾, sed qui aetate provectiore fuerit, eum solitum esse praeponi. At si quidem nominatus augur parentis loco eum qui nominavit colere debebat, quicumque augur fieri voluisset, ab augure natu majore nominari solitum esse, qui statuerit, haud multo a vero aberrabit. Est vero haec pietas ac verecundia, qua colebantur quum parentes tum natu majores propria populorum Italicorum et maxime Romanorum. 1) Pietati quoque quasi deae templa a Romanis exstruebantur. 2)

Inauguratus augur collegio, quam appellabant auguralem, adjiciale, aditiale coenam 3) parare debebat. Quae quidem coena primis temporibus quum videatur sobria 4) fuisse, deinde magnificentissima sumptuosissimaque facta est. 5) Huic coenae ut omnes augures interessent, lex auguralis fuit. Quare si quis propter valetudinem infirmam de coena se excusari vellet, trium augurum juratorum testimonio eum uti necesse erat. 6) — Jam qui auguratum adeptus erat, licet maximorum criminum convictus esset, 7) nunquam honore illo privari poterat, 8) si quidem honor is non fiebatur nisi vita, neque iis quemadmodum Arvorum sacerdotibus eripi poterat, etiamsi exsules captique essent. 9) Magister collegii cum fuisse non videatur,¹⁰⁾ qui maximus natu erat, is haud dubie collegio praesidebat.

44) μηδὲν ἡλαττωμένους τῶν περὶ τὸ σῶμα. Dion. Hal. II, 21. cf. Plut. Quaest. Rom. 73. —
 45) Sen. Claud. c. 22. Cic. Brut. c. 1. — 46) Cic. ad Fam. III, 10, 9. — Quasi vero Cicero Hortensio, a quo erat nominatus, fuerit amicus. Cf. Pauly, III, p. 1501 seqq. At ultimis temporibus reipublicae auspiciis spretis nihil nisi speciem disciplinae auguralis fuisse Cicero (de Div. I, 15; I, 16; II, 35) et Dionysius (II, 6) certis verbis declarant. — 47) Plut. T. Gracch. c. 4. — 48) Cic. Brut. I, 1; de Orat. II, 49, 200. — 49) Cic. de Senect. c. 18. — 50) Marq. IV, 347. — 1) ἃ δ' εἰς αἰδῶ καὶ δικαιοσύνην παίδων ἵνα σέβωσι τοὺς πατέρας, ἅπαντα πράττοντες ὅσα ἂν ἐκεῖνοι κελεύωσιν, εἰ τούτων ἦν σεμνότερα καὶ μεγαλοπρεπέστερα καὶ πολλὴν ἔχοντα παρὰ τοὺς ἡμετέροισιν νόμοις διαφορὰν. Dion. II, 26. ὁ δὲ τῶν Ῥωμαίων νομοθέτης ἅπασαν, ὡς εἰπεῖν, ἔδωκεν ἐξουσίαν πατρὶ καὶ υἱοῦ, καὶ παρὰ πάντα τὸν τοῦ βίου χρόνον εἴν τε εἰργεῖν, εἴν τε μαστιγοῦν, εἴν τε δέσμου ἐπὶ τῶν κατ' ἀγρῶν ἔργων κατέχειν, εἴν τε ἀποκτιννῶναι προαιρήται. — Ibid. — De jure patris apud Sabinos cf. Goettl. p. 107. — 2) Cf. Beckerum, zur römischen Topographie, p. 24. — 3) Cic. ad Fam. VII, 26, ad Attic. XII; Varro, de R. R. III, 6, 6. Senec. Epist. 95, 41; 123, 4. Plin. H. N. X, 23; cf. Macrob. Saturn. II, 9. — 4) Sen. Epist. 95, 41. — 5) Q. Hortensium primum pavones in coena augurali posuisse tradunt Varro l. l. et Plin. H. N. X, 23; cf. Macrob. l. l. — 6) Cic. ad Att. 12, 13, 2; ad Fam. 14, 1; 15, 1. — 7) Dio Cass. XL, 15. — 8) Plin. Epp. IV, 8; Plutarch. Qu. Rom. 87. — 9) Plin. H. N. XVIII, 2. Ejus rei causas affert Plutarchus, Qu. Rom. 99. — 10) Wertherus (de Auguribus, p. 7) dicit quidem: „Summus eorum (augurum) appellabatur magister collegii“, at testimonia non affert. —

Augures, propterea quod sacerdotes publici populi Romani fuerunt, ornati erant in senatu et in theatro sedibus honoratis.¹¹⁾ Fuerunt quoque immunes tributorum,¹²⁾ munerum¹³⁾ atque militiae.¹⁴⁾ In agro Vejenti fundos habebant, nec non utebantur famulis publicis, qui sibi in auguriis publice capiendis adjumento essent.¹⁵⁾ Utrum iis publice data sit domus ad habitandum, annon, cum argumenta nobis in promptu sint nulla, pro certo affirmare nequimus. Insignes praeterea fuerunt augures trabea,¹⁶⁾ toga praetexta,¹⁷⁾ nec non lituo,¹⁸⁾ clarissimo insigni auguratus.

Quemadmodum pontifices atque haruspices, ita etiam augures libros habebant sacros, libros augurales,¹⁹⁾ commentarios augurales,²⁰⁾ quibus continebatur omnis disciplina auguralis, omne jus augurium, omnes formulae atque quae in instituendis auguriis canenda erant carmina veluti preces, quas Cicero meminit.²¹⁾ Neque erraverim, ut opinor, si statuo, in iis responsa atque decreta²²⁾ augurum conscripta fuisse. Constat enim inter omnes, quum in dubio esset, num recte auspicia capta essent, id quod animis religionem injicere solebat, ad augurum collegium, ut decerneret,²³⁾ saepenumero relatum esse.²⁴⁾ Fuerunt praeterea libri reconditi.²⁵⁾ Qui quum alia²⁶⁾ dent praecepta atque ea quae apud Romanos in auguriis commemorantur, haud scio an recte dixerim, eos libros ab aliis populis — Etruscos potissimum hac in re respiciendos esse arbitror — ad Romanos profectos esse. Praeter hos libros, quos neminem nisi augures publice inspicere fas erat,²⁷⁾ libri de augurum disciplina et ab auguribus et ab iis, qui non erant augures, plurimi scripti inveniuntur. Hi certe, quum et libri augurii privati²⁸⁾

11) Marin. Fr. Arv. I, 131. — 12) Liv. XXXIII, 42; Ambr. de Sacerdot. curial. p. 14; Mercl. p. 179; Günther, de sumptibus, p. 8. — 13) Brut. 30, 117; Plut. Numa, c. 14; Cic. Acad. pr. II, 38, 121; Digest. IV, 8, 32, § 4. — 14) Dionys. II, 21. Appian. B. C. II, 150; Plut. Camill. c. 41; Marcell. c. 3. — At tumultu vacationes non valebant, Cic. Phil. VIII, 1, 3. — 15) „Helius Affinianus publicus Augurum.“ Gruter. Inscript. 1087, 7; Murator. Nov. thesaur. 170, 4. Fabretti, Inscript. p. 336 n. 508. — 16) Trabea, antiquissimum regum et augurum vestimentum, fuit toga albi coloris multis fasciis purpureis trabiis instar transversis ac discurrentibus ornata, iisque vel intextis vel assutis. Forbiger, ad Virg. Aen. VII, 612. Cf. Dionys. VI, 13. — Haec quum sit Romanorum propria vestis, id quod ex Dionysio apparet dicente (II, 70): *τραβέας ἔστι δ' ἐπιχώριος αὐτῆς Ῥωμαίοις ἑσθῆς ἐν τοῖς πάντων κτιρίοις*, ab Latinis profecta videtur. Latini enim reges ea saepissime uti dicuntur, veluti verbi causa Picus, rex Latinorum. (Virg. Aen. VII, 188; Ovid. Met. XIV, 320 seqq.). Romulum vel trabeatum, vel trabea pulchrum, decorum invenimus his locis: Ovid. Met. XIV, 828; Fast. I, 37; II, 504; VI, 375; Virg. Aen. VII, 612; XI, 334; Juven. VIII, 259; Plin. H. N. IX, 39, 63. — 17) Toga praetexta (Cic. p. Sest. 69, 144), erat limbo purpureo circumdata toga qua et pueri ingenui et majores magistratus senatoresque ac sacerdotes utebantur. Quae quidem toga ab Etruscis ad Romanos venisse videtur. Plinius enim (H. N. IX, 39, 63) dicit, Tullum Hostilium e regibus primum Etruscis devictis, ea usum esse, et alio loco (VIII, 48, 74) praetextas apud Etruscos originem invenisse aperte tradit. Haec autem praetexta augures tantummodo diebus festis atque quum munus suum obirent indutos esse ex Ciceronis verbis, Phil. II, 43, 110, clucet. Cf. Halm. ad hunc locum. — 18) Lituus erat augurum incurvum bacillum et a summo leniter inflexum, ob illius litui, quo canitur, similitudinem sic nominatum. Cf. Gell. V, 8. Cic. de Div. I, 17; II, 38; Liv. I, 18; Appulej. Apol. p. 442. Ov. Fast. VI, 369; Virg. Aen. VII, 186 et Serv. a. h. l.; Plut. Qu. Rom. p. 67; Rom. c. 31; Schol. ad Hor. Od. I, 1, 13. — 19) Cic. de Div. I, 33, 72. Senec. Epp. 108. — 20) Cic. de Div. II, 18. — 21) Nat. Deor. III, 20. — 22) Cic. de Div. II, 36. — 23) Cic. in Vatin. 8. — 24) Cic. de Div. I, 17; II, 28; Nat. Deor. II, 4; Val. Max. I, 1, 3. — 25) Cic. p. dom. 15; Serv. ad Aen. I, 398. — 26) Serv. ad Aen. I, 1. — 27) Cic. p. dom. 15, 39. — 28) Gell. VII, 6. —

nominaerentur, ab omnibus adiri poterant. Appius Pulcer²⁹⁾ augur scripsit libros augurales, quos etiam Marcellus,³⁰⁾ Cicero³¹⁾ atque Caesar³²⁾ scripsisse dicuntur. Ennius³³⁾ de augurandi disciplina, Messala³⁴⁾ de auspiciis, Varro³⁵⁾ augurum libros, Nigidius Figulus,³⁶⁾ qui non erat augur, de augurio privato scripserunt. His quidem in libris variae et discrepantes de divinatione sententiae saepe fuisse videntur. Ita quidem, ut ex Cicerone³⁷⁾ discimus, Marcello, qui nullam credebat unquam divinandi scientiam in collegio augurum fuisse, placuit auspicia non esse composita nisi ad utilitatem rei publicae, Appio contra videbatur disciplina divinandi in auguralibus signis et auspiciis inesse.

Alter, ex quo augures hauriebant cognitionem juris ac disciplinae auguralis fons idemque haud contemnendus, non repeti debet ex libris, sed ex iis, quae sermone augurum tradebantur. Fuit enim praeceptum augurale, ut Nonis commentandi causa atque inter se colloquendi convenirent augures, quibus in conventibus res ad auguria pertinentes pertractabantur.³⁸⁾ Quo convenirent augures, videntur electi esse saepissime alicujus auguris horti.³⁹⁾ Quum autem primis temporibus augures hunc morem diligentissime observassent,⁴⁰⁾ jam quo tempore Cicero augur fuit, ea consuetudo oblivione deleta esse videtur.⁴¹⁾

Venio ad signa. — Quinque genera signorum observabant augures: ex coelo, ex avibus, ex tripudiis, ex quadrupedibus, ex diris.⁴²⁾ Omnia autem signa, quae his quinque signis tenentur, sunt aut oblativa, quae non poscuntur, aut impetrativa v. impetrata, quae optata veniunt.⁴³⁾ Attamen ex oblativo fiebat impetrativum augurium, si is qui observavit, se accipere augurium omenque dixit;⁴⁴⁾ sin autem id negavit, neque ullae dirae neque ulla auspicia ad eum pertinebant.⁴⁵⁾

I. Signa, quae observabantur ex coelo erant fulmina, fulgura, tonitrua, quae et ipsa coelestia auguria vocabantur.⁴⁶⁾ — Quae, dum in Italia saepissime accidebant, a populis Italicis frequentissime observari solebant. Inter hos autem Etrusci fulminum exercitatissimi interpretes exstiterunt,⁴⁷⁾ atque summa fulgurum persequendorum scientia insignes fuerunt,⁴⁸⁾ quare fulguratura proprie Etruscorum disciplina appellabatur.⁴⁹⁾ Attamen quum Muellerus⁵⁰⁾ et Wetherus¹⁾ artem fulguratorum prorsus Tuscae originis fuisse, neque Romam nisi posterioribus temporibus pervenisse velint, in errore valde mihi versari videntur. Jam enim Picus et Faunus, antiquissimi Latii reges ritum depellendi et expiandi fulgura cognitum habuisse dicuntur, ²⁾ Tum Ascanio, Jovem et reliquos deos precanti, ut sibi felix aliquod eruptionis signum darent, sereno coelo a sinistris fulgur emicuisse fertur. ³⁾ Romulus, Longae Albae rex, parum rite fulgura eliciens fulmine ictus est. ⁴⁾ Romulo, Romanorum regi, dii de regno consulti fulgura

29) Cic. Famil. III, 4; de Div. II, 35, 75; de Legg. II, 13, 32; Varro de R. R. III, 2, 2. Festus, s. v. Solistimum. — 30) Cic. de Legg. et de Div. II, II. — 31) Serv. ad Aen. V, 738; cf. Drumann, Geschichte Roms, VI, 352. — 32) Prisc. — 33) Suet. ill. gramm. praef. — 34) Gell. XIII, 15. — 35) Macrob. Sat. I, 16. — 36) Gell. VII, 6. — 37) Cic. de Legg. II, 13; de Div. II, 35. — 38) Cic. de Amic. II, 7; de Div. I, 41. — 39) Cic. de Amic. I, I. — 40) Cic. I, I. — 41) „Quod etiam idem (commentandi causa convenire) quondam facere Nonis solebatis.“ Cic. de Div. I, 41. — 42) Festus, s. v. Quinque. — 43) Serv. ad Aen. VI, 190. — 44) Serv. ad Aen. VI, 194. — 45) Plin. XXVIII, 4. — 46) Paul. Diac. p. 64. — 47) Cic. de Div. I, 42; 41; de Legg. II, 9, 21; Gell. IV, 5. — 48) οἱ τε μάντιες (Τυρρηνοῶν) ἀκριβέστερον τῶν ἄλλοθι που δοκοῦντες ἐξηταχέναι τὰ μετάρσια, πόθεν τε αἱ τῶν κεραιῶν γινονται βολαί. Dion. Hal. IX, 6. cf. Sen. Q. N. II, 32. — 49) Sen. Q. N. II, 50; Cic. de Div. I, 33, 72. — 50) Etrusc. II, 163. — 1) p. 11. — 2) Ov. Fast. III, 289; Virg. Aen. VII, 47, 82; Dion. Hal. I, 31; Justin. 43. — 3) Virg. Aen. IX, 630; Dion. Hal. II, 5. — 4) Ov. Met. XIV, 617; Liv. I, 3.

sinistra miserunt.⁵⁾ Neque minus Numam precationibus quibusdam fulmina vel cogere vel impetrare potuisse narrat Plinius.⁶⁾ At quid plura? Satis enim luculenter Dionysius his dicit verbis: *ὡς δὲ τινες ἱστοροῦσιν ἐκ παλαιοῦ τε καὶ πρὶν ἢ παρὰ Τυρρῆνων τοῖς Ῥωμαίων προγόνους αἰσίοι ἐνομίζοντο αἱ ἐκ τῶν ἀριστερῶν ἀστραπαὶ* 7); atque alio loco: *οἰωνοπόλους, ἀπάσης τῆς μαντικῆς παρ' αὐτοῖς ὄντας ἐπιστήμονας τοὺς τε περὶ τὰ οὐράνια, καὶ τὰ μετέωρα, καὶ τὰ ἐπίγεια.*⁸⁾ Quibus de causis, quanquam permulta ab Etruscis in disciplina fulgurali Romanos mutuatos esse negari non potest, non pauca tamen Romanorum haud dubie propria esse videntur. Quaerentibus nobis quid discriminis intersit inter Romanam et Etruscam disciplinam fulguralem, statuendum est, Etruscos eam maxime artificiosam perfectissimamque, Romanos autem simplicissimam habuisse. Tusci enim disciplinam suam secuti novem deos fulmina emittere putabant⁹⁾. Romani uni tantum Jovi fulmen attribuebant, quamquam certa quaedam argumenta sunt, primis temporibus et alios fulminantes deos fuisse videri. Plinius¹⁰⁾ enim et Augustinus¹¹⁾ narrant, Romanos veteres Summano¹¹⁾ fulmina nocturna, Jovi autem diurna attribuisse. Summanus Sabinorum fuisse videtur deus, et non, prout Creuzerus¹²⁾ et Muellerus¹³⁾ volunt, Etruscorum. Varro enim,¹⁴⁾ T. Tatium hominem Sabinum sacra dei istius instituisse dicit. Ex disciplina fulgurali Sabinorum Summanus¹⁵⁾ Romam mihi pervenisse videtur, quamobrem mox Jovi Romanorum fulminanti cedere coactus erat, ut hic unus tantum superesset deus fulminans. Est unde conjici possit, Summanum aetate posteriore ipsis Romanis ignotum fuisse. Ovidium¹⁶⁾ enim, quippe qui Summanum commemorans, „quisquis is est“ addat verba, hunc sibi parum notum significat. Tum Dionysius¹⁷⁾ Romulo post mediam noctem Jovem auguriis consultum fulgur misisse narrat, sed Summani, dei fulminum nocturnorum, nullam facit mentionem. Augustinus¹⁸⁾ autem expressis verbis dicit: „Postquam Jovi templum insigne ac sublime constructum est, propter aedis dignitatem: sic ad eum multitudo confluit, ut vix inveniatur, qui Summani nomen, quod audire non possit, se saltem legisse meminerit.“

Regionum descriptio in quibus fulmina observabantur alia fuit Romanorum atque Etruscorum.¹⁹⁾ Tusci enim in sedecim,²⁰⁾ at Romani in quattuor²¹⁾ partes diviserunt coelum. Procuratio atque expiatio fulgurum, quamquam temporibus posterioribus a solis fere Etruscis exercitata fuisse videtur, tamen, si eorum, quae jam supra de Pico, Fauno, Romulis, nec non de Numa disputavimus, rationem habueris, et apud Romanos antiquitus vigeat, neque Muellero id prorsus neganti²²⁾ assentiri poteris. —

5) Dion. Hal. l. l. — 6) Plin. H. N. II, 53. Cf. Ov. Fast. III, 289 seqq. — 7) Dion. Hal. II, 5. — 8) Ibid. IX, 6. — 9) Plin. H. N. II, 52. — 10) Plin. l. l. — 11) De Civ. Dei, IV, 23. — 11) Fulgur Summani conditum, Orelli, 1466. — 12) Symbol. II, 966. — 13) Etrusc. II, 60, n. 80. — 14) L. L. V, 22; Festus s. v. provorsum. — 15) Fuit ille Summanus deus inferorum idem qui Pluto. Arnob. V, 11; Fabretti, Inscr. antiqu. p. 37; Comment. ad Aug. de Civ. D. IV, 2; Plutoni Summano aliisque Diis Stygiis, Orelli: 1216. Nomen ducendum mihi videtur non ut Merckelius (Prol. Ov. Fast. p. CCVIII.) arbitratur a „sub“ et „mane“, sed potius a „summo“ et „manibus“, quasi summus manium fuerit Summanus. At manes deos ab auguribus vocari solitos, testatur Festus, ed. Muell. 157a, 32. — 16) Ov. Fast. VI, 725. — 17) II, 5. — 18) De Civ. D. IV, 23. — 19) De Etruscorum disciplina fulgurali conferantur: Seneca, Quaerst. Nat. toto libro secundo; Frandsenius, Haruspices; in Graev. Thesaur. V. Boneleng. lib. V, de fulminibus; Pierus de fulminum significatione; Creuzerus, Symbol. II, 9 § 13; Muellerus, Etrusc. II, 162 seqq. — 20) Plin. H. N. II, 54. — 21) Varro, L. L. VII, 7. — 22) Etrusc. II, 170.

In observatione autem fulgurum magni fuit momenti, serenone²³⁾ coelo atque quot²⁴⁾ emissa sint fulmina. Deinde Romanorum fuit proprium, ut fulgura sinistra fausta haberentur,²⁵⁾ quemadmodum aves sinistrae,²⁶⁾ laevae²⁷⁾ prosperae auspicataeque essent auspiciumque ratum facerent, qua in re inter eos et Graecos barbarosque id intererat, quod hi dexteram partes meliores putabant.²⁸⁾ At si nihilominus haud raro dextra pro faustis, prosperis, propitiis a Romanis usurpata invenimus,²⁹⁾ tum hi Graecorum rationem sequuntur.³⁰⁾ Causa quidem hujus Romanorum opinionis in eo invenitur, quod augures Romani, quum auguria captantes ad meridiem sese verterent, orientem, quae optima in auspiciis erat pars mundi, a laeva habebant.³¹⁾ At prorsus Romanum fuit hoc praeceptum augurale: „Jove tonante, fulgurante comitia populi habere nefas.“³²⁾ —

Fulgura fuerunt peremptoria, quae superiora fulgura peremebant, id est tollebant.³³⁾ Fulminibus enim Romani eam tribuebant vim, ut quicquid alia signa portenderent, id fulmen aut firmare³⁴⁾ aut tollere posset, at quicquid fulmine portenderetur, fixum esset, nec extis nec ave contraria refelleretur,³⁵⁾ quo factum est ut fulmen auspicium maximum,³⁶⁾ optimum³⁷⁾ vocaretur. —

II. Signa ex avibus. Quamquam et Tusci cantus avium et volatus notaverunt,³⁸⁾ att-

23) Ov. Fast. III, 369; Cic. de Div. II, 35, 74; Enn. ap. Cic. de Div. II, 39, 82; Virg. Aen. IX, 630, 631. — 24) Ter tonuit sine nube deus, Tria fulgura misit. Ov. Fast. III, 369. — 25) *Τίθενται δὲ Ῥωμαῖοι τὰς ἐκ τῶν ἀριστερῶν ἐπὶ τὰ δεξιὰ ἀστραπὰς αἰσίους.* Dion. Hal. II, 5. — Fulmen vel tonitru sinistrum sereno coelo auspicium habebat optimum. Cic. de Div. II, 35, 74. *Τοῖς Ῥωμαίων προγόνοις αἰσίοι ἐνομιζόντο αἱ ἐκ τῶν ἀριστερῶν ἀστραπαί.* Dion. Hal. I, 1; cf. Plin. H. N. II, 54; Ov. Fast. IV, 833; Virg. Aen. II, 639; IX, 630; Liv. I, 18; Phaedr. III, 18; Suet. Aug. 95. — 26) „Sinistrae aves, quod faciebant auspicium, quo sinebant aliquid fieri.“ Fest. s. v. admissivae. Sinistrum autem a sinendo dictum, quantum ad auguria pertinet quod nos agere aliquid sinat. Serv. ad Aen. II, 639; cf. Cic. de Legg. III, 3; Plut. Qu. Rom; de Div. I, 39, 85; Varro, L. L. VI, 80; Plaut. Pseud. II, 4, 72. — 27) Ov. Fast. IV, Plaut. Asin. II, 1, 12; Epid. II, 8, 2; Enn. ap. Cic. de Div. I, 48, 108; Lucan. I, 7. Pharsal. — 28) Cic. de Div. II, 39, 82. — 29) Cf. Virg. Aen. II, 388; Pers. V, 114; Sil. Ital. XIII, 820; VII, 172; Stat. Silv. III, 4, 63; 245; Virg. Aen. IV, 579; Ov. Fast. I, 69. — 30) Forb: ad Virg. Georg. IV, 7. — 31) „Varro l. V. epistolicarum quaestionum ait: A deorum sede cum in meridiem spectes, (quod) ad sinistram sunt partes mundi exorientes, ad dextram occidentes, factum arbitror, ut sinistra meliora auspicia quam dextera esse existimantur. Idem fere sentiunt Sinius Capito et Cincius.“ Fest. p. 339a 2. — „Laeva prospera existimantur, quoniam laeva parte mundi ortus est.“ Plin. H. N. II, 54; cf. Varro, L. L. VII, 7; Dion. Hal. II, 5. — De statione sedeque auguris in captandis auspiciis suo loco accuratius disputabimus. — 32) Cic. de Div. II, 18, 43; Phil. V, 3, 7. — 33) Sen. Q. N. II, 49. — 34) Cic. de Div. I, 47, 106. — 35) Sen. Q. N. II, 36. — 36) Serv. ad Aen. II, 693; Dio Cass. XXXVIII, 13. — 37) Cic. de Div. II, 35, 74. — 38) Bentley, Remarks upon a late discourse of free-thinking II, p. 65. dicit quidem Tuscorum disciplinam tantummodo extis, fulguribus, ostentis contineri. Sed habeo, quod sententiam hanc refellere posse videatur. Jam ex Livio (I, 34) apparet, Tuscos peritissimos fuisse auguriorum. Neque minus Dionysius Tuscos usos esse auguriis (*οἰωνοσκοπικὴ τέχνη*) testatur. Dicit enim (III, 70): *ἐπειδὴ δὲ τῆς κοινῆς παιδείας ἀποχρῶντος μετέλαβε Τυρρηγῶν ἀντὶ τὸν παραδίδωσι τῷ λογιωτάτῳ τὴν οἰωνοσκοπικὴν τέχνην διδάσκειν.* In eandem sententiam haec quoque verba: *Ἀράβες κοράκων ἀκούουσι, Τυρρηγοὶ ἀετῶν.* Porphyr. de abst. III, 4, p. 221. — Item Lucan. (I, 582), exta, aves disciplinae Tuscae partes fuisse tradit. Apud Maronem (Aen. X, 175) legimus: (Asilae Tusco) „parent, et linguae volucrum et praesagi fulminis ignes.“ Et Silius Italicus (XIII, 819): „haec (Tanquil, femina Tusca) quoque castae Augurio valuit mentis . . . et dextros agnovit in alite divos.“ Atque Lactantius, II, 16, docet, rem augens, Tuscorum inventa esse astrologiam, haruspicinam et auguratum.

men Romanis avium inspectio quantae maximae curae erat, quamobrem non facile quisquam erraverit, si in hoc auspiciorum genere paucissima, quae ab populis externis sumta sint, inesse putaverit. Jam primum quum Tusci plurimas aves,³⁹⁾ haud scio an quamlibet,⁴⁰⁾ observarent, apud Romanos sicut apud Graecos⁴¹⁾ et certae et admodum paucae⁴²⁾ augurium dabant. Aves Romanorum augurales, id est quae notatae aliquid agi aut jubebant aut vetabant, fuerunt oscines, si cantu,⁴³⁾ alites si volatu auspicium faciebant. Oscinum erant ave snotissimae: corvus,⁴⁴⁾ cornix,⁴⁵⁾ noctua vel bubo,⁴⁶⁾ picus,⁴⁷⁾ gallus gallinaceus, qui quidem magis ad Graecos pertinere videtur.⁴⁸⁾ At alites erant: buteo,⁴⁹⁾ sangualis,⁵⁰⁾ ossifraga, 1) aquila, 2) immissulus, 3) vultures. 4) Et ad oscines et ad alites referebantur picus Martius, 5) Feronius 6) et parra. 7) Praeter has aves quum scriptores antiqui nonnullas alias aves augurales memorent, neque se scire quales fuerint, fateantur, haud dubie primis temporibus major eorum numerus erat. Memorat enim Plinius avem incendiariam, dicens 8): „Quae sit avis ea nec reperitur nec inveni-

39) „Sunt praeterea complura genera depicta in Etrusca disciplina, sed ulli non visa.“ Plin. H. N. X. 14, 2. — 40) „Sed in libris reconditis, (Etruscis ut puto), lectum esse, posse quamlibet avem auspicium attestari.“ Serv. ad Aen. I, 398. —

41) *ὄρνιθες δὲ τε πολλοὶ ὑπ' αἰγᾶς ἡελίοιο*

Φοιτῶσ' οὐδέ τε πάντες ἐναΐσιμοι. Odys. II, 181, 182.

42) Cic. de Div. II, 36, 76. — 43) „Oscines dicuntur apud augures quae ore faciunt auspicium.“ Varro L. L. VI, 76; cf. Serv. ad Aen. I, 393, 398; III, 361; IV, 462. Festus, p. 197a 3; Cic. de Div. I, 53, 120; de Nat. Deor. II, 64, 160; Plin. H. N. X, 19, 43; Ov. Trist. I, 8, 50; Amm. Marcell: XXI, 1; Arnob. ad g. VII, 59. — 44) Cic. de Div. I, 7, 12; Val. Max. I, 4, 2. — 45) Cic. de Div. I, 39, 85; Hor. Od. III, 27, 15; Phaedr. III, 188, 12; Plaut. Asin. II, 1, 12; Virg. Ecl. IX, 15 et Serv. ad h. l.; Plin. X, 12, 30. — 46) Virg. Aen. IV, 462. — 47) Plin. H. N. X, 8, 21; Fest. 197a 5. — 48) Cic. de Div. II, 26, 56; Suet. Vitell. c. 9; Plin. H. N. X, 21, 46. — 49) Plin. H. N. X, 8, 21. — 50) „Sangualis avis, quae in commentariis auguralibus ossifraga dicitur.“ Paul. Diac. p. 145, Fest. p. 250 ed. Lind. — Plinius (X, 7, 20) dicit: „Sangualem jam post Mutium augurem Romae visum non esse.“ Sangualis, species aquilarum, Sanco, Sabinorum deo, qui in Quirinali templum habebat, (Dion. Hal. IX, 60) sacra fuit. Cf. Interpp. ad Liv. XLI, 13; Jul. Obsequ. 63; Fest. 317b, 31. — Videtur igitur avis illa primum ex Sabinorum disciplina ad Romanos venisse, tum autem quippe quod Romanorum propria non fuerit neglecta esse.* — 1) Ossifraga fuit genus aquilae. (Plin. H. N. X, 3). — Quum autem Tuscae originis fuisse videatur, („Tusci vero ossifragam“, Plin. I. I.); mox haud dubie in oblivionem venit. — 2) Liv. I, 34; Cic. de Div. I, 15, 26; 8, 20; Dion. Hal. IV, 64; Senec. Vitell. 9; Tacit. Annal. II, 16. — 3) Immussulum (— missulum, — musulum, — musculum, — mustulum) augures in magna quaestione habebant. Plin. X, 7, 20. — Jam Plinii temporibus ignotum erat, utrum immussulus et sangualis vulturum genus an pulli essent. Plin. I. I. At verisimillimum est, eum ex genere aquilarum fuisse, sed viribus infirmiore quam aquilam. Cf. Arn. II, 59; VII, 6; Paul. Diac. p. 112, 3. Werth. p. 12. — 4) Plut. Rom. 9; Dionys. Hal. IV, 63; Liv. I, 7; Flor. I, 1; Suet. Aug. c. 95; Lucan. Phars. 7. — 5) Picus Martius, quum avis vaticina Martis Latinorum dei (Dion. Hal. I, 14; cf. Ambr: 150—154) esset, atque nomen a Pico, rege Latii antiquissimo, accepisse dicatur, (Plin. X, 18, 40) haud dubie ex disciplina Latinorum facta est avis auguralis Romana. Quamobrem multum abfuit, ut sicuti sangualis Sabina vel ossifraga Tusca summo veretur, ut maximus in auspiciis haberetur. Plin. X, 18, 40. — 6) Fest. p. 197a. — Feronius quamquam incerta est avis, tamen dubitari non potest, quin fuerit avis Feroniae, Sabinorum deae, (Varro, L. L. V, 74.). Atque siquidem et ipsa dea Romae minime culta esse dicitur, (Marqu. IV, 29.) avis Feroniae primis jam temporibus neglecta esse videtur. — 7) Fest. I. I. Hor. Od. III, 27. — 8) Plin. H. N. X, 13, 20. —

*) Titienses ab initio in iure sacro Ramnensibus inferiores fuisse docuit Ambroschius (Stud. 211—239).

tur. Ignotae etiam Plinio aves fuerunt spinturnix,⁹⁾ subis,¹⁰⁾ Titiae aves.¹¹⁾ Praeter has, quas dixi aves augurales fuerunt quae, etiamsi ex iis augurium non postularetur, attamen, id quod sane quidem Graecum redolebat morem, certis hominibus, certis in negotiis auspicia darent. Ita columba regibus solis erat augurio,¹²⁾ cygnus nautis gratissimus habebatur ales,¹³⁾ ciconia concordiam portendebat, aegithus, accipitrum genus nuptias, et rem pecuariam fortunabat.¹⁴⁾

Aves hae volatu laevo vel dextro prorsum retrorsum directo, obliquo, tardo, concito praedicabant.¹⁵⁾ Volatum a laeva faustum, a dextra infaustum dictum esse, jam supra exposui, ubi causa simul addita est, cur adjectiva „laevus“ et „dexter“ hanc significationem acceperint. — At quibusdam datum est, ut a dextra ratum auspiciam facerent.¹⁶⁾ Ita quidem corvus a dextra¹⁷⁾ canens boni, a laeva vel in aliquem exadversum occinens¹⁸⁾ mali fuit ominis.¹⁹⁾ Mali quoque ominis erant aves, quae volantes inferiora tenerent, quae et ipsae inferae vocabantur. At quae ex alto,²⁰⁾ quae ingentibus alis patulae atque porrectae²¹⁾ volarent et se ante auspiciantem ferrent, aut quae sedes idoneas felicesque caperent, optimum faciebant auspiciam, praepetesque et aves²²⁾ dicebantur et loca²³⁾ illa. Tum aves altissime volitantes faustissima portendebant omina.²⁴⁾ Optimi quoque augurii erat signum avis stridentibus alis volans.²⁵⁾ Sin vaga fuit avis, aut si se vellendo apparuit auspicianti, malum fecit auspiciam.²⁶⁾

Oscines autem praesertim observabantur qua canerent voce. Ita, si corvus clara occinuit voce, boni erat ominis;²⁷⁾ quum autem glutit vocem, velut strangulatus, pessima fuit ejus significatio.²⁸⁾ Nigidius²⁹⁾ tradidit noctuas novem voces habere. Tum et loci ipsius, unde

9) Plin. X, 13, 36. — 10) Plin. X, 14, 37. — 11) „Sed illae aves cui hodie aucupi notae sunt?“ Adrian. Turneb. Advers. XXI, 1. — Haec avis auguralis ab Sabinis videtur esse profecta. Varro, L. L. IV, enim dicit: „Sodales Titios dictos esse a Titiiis avibus, quas in auguriis certis observare sint soliti.“ Hos autem sodales T. Tadius, Sabinorum rex, instituit. cf. Tac. Ann. I, 54. — Ex Varrois verbis illis: „auguriis certis,“ fortasse aliquis conjecturam legerit, aves illas non observatas esse nisi in auguriis tribus Titiansium. — Videntur illae genus columbarum fuisse. Servius enim dicit palumbes vulgo appellari tetas. Isidorus autem dicit: „palumbes, eo quod sunt factae pabulo, quas vulgo tetas vocat.“ — 12) Quia nunquam singulae volant, sicut rex nunquam solius incedit.“ Serv. ad Aen. VI, 190. — 13) „Quia nunquam mergitur undis.“ Serv. ad Aen. I, 393; VI, 190; Aemil. Macer in Ὀρνιθογονίᾳ. — 14) Plin. H. N. X, 8, 21. — 15) Kippingii Antiqu. Rom. p. 243. — 16) Cic. de Div. II, 38. — 17) Cic. de Div. I, 39, 85; 7, 12. Plaut. Asin. II, 112. Ratio Graecorum hic servata esse videtur. Nam corvus, quod nemo ignorat, sacer erat Apollini, Graecorum deo, qui, quum antiquissimis temporibus plane ignotus esset Romanis, postea Romam venit. Cf. Marqu. IV, 51 et 305. — 18) Val. Max. I, 4, 2. — 19) Wertherus, p. 12. picum a laeva volentem mali fuisse ominis statuens valde errat. Quamquam enim ex uno Horatii loco (Od. III, 27, 15) id probari videtur, tamen ei poetae licuit rationem Graecorum sequi. — 20) Cic. de Div. I, 48, 108. — 21) Gell. VII, 6. — 22) Fest. p. 205. Paul. Diac. p. 244. — „Praepes“ idem significans atque „felix“ his verbi causa reperitur locis: Cic. de Div. I, 47, 106; 48, 108; Stat. Theb. II, 39; Amm. Marc. 18, 6; 27, 11. Virg. Aen. III, 361; Serv. ad Aen. III, 361; VI, 15. — Ceterum poetae promiscue omnes aves praepetes appellant. Cf. Virg. Aen. V, 254; Ovid. Met. IV, 714; XIII, 617; XIV, 576 et alibi. — 23) Enn. apud Cic. de Div. I, 48, 108. — Cf. Hygin. ap. Gell. l. l. — Goettlingius, (p. 204), et ipsas inferas aves faustas esse vult, id discrimen inter has et praepetes statuens, quod illae volantes inferiora, hae superiora teneant. Muellerus, (Etrusc. II, 189) mali ominis eas fuisse dicit. Marquardtius, (IV, 359) id in medio reliquit. Mihi quidem Muellerus recte dixisse videtur. Apparet enim hoc luculentissime ex Nigidio Figulo (apud Gell. l. l.) ita dicente: Discrepat dextra sinistrae, praepes inferae. — 24) Suet. Aug. II, 94. — 25) Serv. ad Aen. I, 397. — 26) „Viosgra (verbum corruptum) avis, quae se vellit. Augures hanc eandem fucillantem appellant.“ Fest. p. 371b. — 27) Liv. X, 40. — 28) Plin. H. N. X, 12, 33. — 29) Plin. H. N. X, 17, 39. —

vox venisset, ratio habebatur, atque altissima quaeque loca felicissima praebant signa. Aves, quae summis ex locis vocem emisissent, supervaganae dicebantur, ita dictae quia super omnia vagantur aut canunt.³⁰⁾ Infelicissimae aves autem semper et ubique fuerunt bubo, spinturnix, parra, noctua, styx.³¹⁾ — Sin plura, quae non consentirent una apparuerunt signa, quum essent ab iisdem avibus data, temporis et numeri ratio habebatur; quum autem non ab iisdem, quaecumque majorem in disciplina augurali habuit vim, ea anteponebatur.³²⁾ Aves haec quum suadent, probant, addicunt,³³⁾ admittunt,³⁴⁾ secundant,³⁵⁾ dicuntur addictivae, admissivae,³⁶⁾ praepetes,³⁷⁾ secundae,³⁸⁾ sinistrae,³⁹⁾ supervaganae⁴⁰⁾; quum autem vetant, prohibent, abdicunt⁴¹⁾, arcent, monent,⁴²⁾ refragantur, remorantur,⁴³⁾ sunt adversae,⁴⁴⁾ alterae,⁴⁵⁾ arculae,⁴⁶⁾ cliviae⁴⁷⁾, funebres,⁴⁸⁾ inebrae, inhibrae, inhibae⁴⁹⁾ lugubres,⁵⁰⁾ malae, 1) remores, 2) clamatoriae, 3) prohibitoriae, 4) inferae, 5) falsae. 6) Aves augurales, quippe quae nuntiarent voluntatem et auguria deorum, nuntiae horum habebantur. Aquila enim, quae praeter ceteras aves in augurali disciplina praestantissima maximique momenti fuit, Jovis ales, 7) nuncia, 8) satelles interpretum, 9) praepes¹⁰⁾ vocabatur. Cornix adscribebatur Junoni,¹¹⁾ noctua¹²⁾ Minervae, columba et cygnus Veneri,¹³⁾ Feronius Feroniae, Picus Marti, Sangualis Sanco.¹⁴⁾ Attamen Jupiter, quem admodum solum augurem consiliarium suum atque administrum¹⁵⁾ habebat, ita etiam omnibus avibus usus esse nunciis videtur.¹⁶⁾

Signorum, quae jam commemoravi, usus vetustissimus erat; quae jam sequentur, posteriori tribuenda sunt tempori.

III. Auguria pullaria, auspicia ex tripudiis. Fiebant ea hac ratione. Pulli,¹⁷⁾ qui in cavea inclusi servabantur, quum augurium sumendum esset, emittebantur summo diluculo; quod si tam avide in offam¹⁸⁾ pultis¹⁹⁾ objectam invadebant, ut frustum ex ore in solum decedens terram paviret sive pulsaret, optimum erat augurium et terripavium, sive terripudium,

30) Paul. Diac. p. 304. — 31) Ov. Met. V, 544, seqq.; Plin. X, 12, 34; Virg. Aen. VII, 462 et Serv. a. h. l. — 32) Liv. I, 7; Dion. Hal. I, 36; Plut. Rom., Serv. ad Aen. I, 273. — 33) Liv. I, 36; Tac. Ann. II, 14; Aurel. Vict. d. V. d. c. 3. — 34) Liv. I, 35; IV, 18. — 35) Virg. Aen. VII, 259. — 36) Paul. Diac. p. 21. — 37) Vid. supr. — 38) Hor. Epist. 16, 23; Cic. de Div. I, 48, 107; 15, 27; Virg. Aen. VIII, 90. — 39) V. s. — 40) V. s. — 41) Cic. de Div. I, 17, 31. — 42) Virg. Eclog. IX, 15. — 43) Marquardtus, (IV, 360), subjungit vocibus his vocem occinendi. Atque vocem hanc de malo et fausto omine usurpatam patebit, si comparaverimus quae Livius VI, 41, et quae X, 40 dixit. — 44) Enn. ap. Cic. de Div. I, 16, 29. — 45) Paul. Diac. p. 7. — 46) „Ab arcendo,“ Paul. Diac. p. 16. — 47) Ibid. p. 64. — 48) Plin. X, 12, 34. — 49) „Inebrae ab inhibendo, quae averso omine impediabant aliquid fieri.“ Paul. p. 109. — 50) Hor. Od. III, 3, 61. — 1) Hor. Od. I, 15, 5; Epist. 10, 1; Stat. Theb. III. — 2) „Remores a remorando,“ Paul. p. 276. — 3) Plin. X, 14, 37. — 4) L. l. — 5) V. s. — 6) Od. Met. V, 147. — 7) Virg. Aen. I, 394; IX, 564; XII, 247; Ov. Met. IV, 362; Plin. X, 5, 18; Sil. Ital. IV, 113. — 8) Cic. de Div. II, 34; de Legg. I, 1. — 9) Cic. de Div. I, 47; II, 36. — 10) Aen. V, 254; Ov. Met. IV, 714. — 11) Festus s. v. Corniscarum. — 12) Cf. Hoffmann, Die Alterthumswissenschaft, p. 606. — 13) Aen. VI, 193; Ov. Met. XV, 386; cf. Forbig. ad Aen. I, 393. — 14) V. s. — 15) Cic. de Legg. III, 19. — 16) „Jupiter, tuis . . . jussus avibus,“ Liv. I, 12. — 17) Primum omnes aves tripudium facere potuisse dicit Cic. de Div. II, 35, 73. — 18) „Offam, ait Heyne ad Aen. VI, 420, intellige *μελιτιοδταν*, globulum ex pulte factum, sed admixto melle et papaveri aliisque seminibus et succis ita temperatum, ut vim soporificam haberet.“ Cf. Moser. ad Cic. de Div. I, 15. — 19) Fest. s. v. puls; Varro L. L. V, 22. —

sive tripudium²⁰⁾ solistimum²¹⁾ auspicanti nunciabatur. At si vesci volebant pulli, sive ex cavea tardius exibant, vel avolabant, triste omen erat. Idem fere ac solistimum videtur fuisse tripudium sonivium.²²⁾ — Qui pullos servabant, pullarii dicebantur.²³⁾ Munus eorum fuit, pullis pabulum dare, atque quoties a magistratu juberentur tripudio auspicari,²⁴⁾ e cavea emittere, pastum objicere, et magistratui quale esset auspiciam nunciare. Fuerunt pullarii ministri publici augurum,²⁵⁾ decuriam pullariam formantes,²⁶⁾ fuerunt homines ingenui²⁷⁾ atque pecunia publica alebantur.²⁸⁾ — Antiquissimis Romanis, sicuti jam monui, hoc auspicandi genus ignotum fuit. Quum autem Romani ea bella gerere coepissent, ut propter longissimum spatium augures prohiberentur, quominus consules in castra auspiciorum captandorum causa comitarentur,²⁹⁾ pullarii jussi sunt magistratui adesse, qui ei auspicia darent tripudio, quippe quod non ita cum impedimentis conjunctum esset, ut auguria coelestia vel ex avibus. Auspicium hoc ut facillime laeti aliquid nunciare potuit, ita etiam usitatissimum fuit. Nam pulli quum in cavea inclusi fame fere enecarentur, cavea liberati lubentes in offam incidebant, ut facile ex ore frustum caderet. Quamobrem auspiciam hoc coactum atque expressum vocabatur.³⁰⁾ A quo tempore autem pulli auspiciam facere soliti sint non liquet. Prima hujus rei mentio facta est apud Livium in oratione, quam App. Claudius Crassus (387 a. u.) habuit.³¹⁾ Primis temporibus igitur in castris³²⁾ ante proelium committendum³³⁾ pullaria captabantur auguria. At aliquanto post et in comitiis agendis et in coloniis deducendis,³⁴⁾ neglectis veteribus auspicis, ex tripudio captari solita sunt auspicia. Itaque Plinius quoque dicere potuit:³⁵⁾ „Hi (galli) magistratus nostros quotidie regunt, domosque ipsis suas claudunt aut reserant. Hi faeces Romanos impellunt aut retinent, jubent acies aut prohibent, victoriarum omnium toto orbe partarum auspices.“ At parvo tempore interjecto hac re abutebantur Romani. Jam enim bello tertio cum Samnitibus gesto, cum pulli non pascerentur, pullarius auspiciam mentiri ausus,

20) Cic. de Div. II, 34. — Festus laceratus, p. 363b (ex emendatione Muelleri) dicit: „Tripudium (cernitur in auspi) eiis in exultatione tripudant (ium pullorum, dictum) a terra pavienda, nam pavire est ferire, a quo pavimenta.“ Cf. Moser. ad Cic. de Div. II, 34. — Doederleinus, (Synonym. VI, 376) tripudium a terra et pedare, (πηδᾶν) ductum putat. Cf. Keil, M. Valerii Probi commentarius, p. 104. — 21) „Solistimum, quod scilicet offa solum contigerat.“ Nieuport, de rit. Rom. p. 255. — Solistimum App. Pulcher in auguralis disciplinae l. I. ait, esse tripudium, quum avi excidit ex ore, quod illa fert. — Doederleinus, l. I. ab solo et *συβεῖν* derivatum esse vult, cf. Werther, p. 15. — 22) Fest. (Lind.) p. 237. — Servius (ad Aen. III, 90) dicit: „Hoc augurium juxta auguralem disciplinam dictum est, quod appellatur Tripudium sonivium, id est a sono. Ad quod pertinet, si arbor sponte radicibus cadat, si terra tremat.“ Ex his autem verbis apparet tripudium sonivium non solum esse gentis auguriorum pullariorum, sed etiam ad auguria ex quadrupedibus et ad diras, de quibus mox loquemur, adnumerandum esse. Cf. Werth. p. 16. — 23) Cic. de Div. II, 34. — 24) Liv. X, 40. — 25) Gruter. Inscr. 1087, 7. — 26) Orell. Inscr. 5010; 2456. — 27) Momms: de Apparitoribus magistr. Rom. in Mus. Rhen. VI, (1848) p. 25. — Inveniuntur et liberti, (Marini, Inscript. Alb. p. 120), qui quidem in decuriam suscepti non erant. Momms l. I. — Haec Marquardtius, IV, 175, n. 34. — 28) Dionysius Hali-carnassensem, quam dixerit: *τινὲς δημοδοσκόπων μισθὸν ἐκ τοῦ δημοσίου γερόμενοι* de pullariis, non de auguribus cogitasse, jam vir doctissimus Rubinus (I, p. 67) optime docuit. — 29) Liv. VIII, 23. — 30) Cic. de Div. II, 34. — 31) Liv. VI, 41. Cicero (de Div. II, 35) Romulum hoc modo auspicari non solum tradit. Si Maro (Aen. VI, 190 seqq.) hoc auspiciam columbas jam Aeneae fecisse dixit, ei tanquam poetae venia danda est. — 32) Liv. X, 40. — 33) Liv. IX, 14; Cic. de Div. I, 35, 77. — 34) Cic. de Leg. Agr. II, 12, 31. — 35) Plin. II, N. X, 21. —

tripudium solistimum consuli nuntiavit,³⁶⁾ atque Ciceronis tempore auspicia illa fingebantur verius quam observabantur.³⁷⁾

IV. Auspicia ex quadrupedibus, pedestria nominata, quae dabantur a vulpe,³⁸⁾ lupo,³⁹⁾ serpente,⁴⁰⁾ equo,⁴¹⁾ ceterisque animalibus quadrupedibus⁴²⁾ veluti a cane.⁴³⁾ Ji autem quadrupedes, qui occurrendo prohibebant, quominus viator iter conficeret, obvaricatores dicebantur.⁴⁴⁾ Augurium pedestre quoque fuit, quum, quod et auspiciam sonivium nominabatur, quadrupedi ex ore offa excideret pultis.⁴⁵⁾

Ad haec auspicia pertinere videtur „Juge auspiciam,“ quod infausti erat ominis. Quale id fuerit, ab aliis aliter traditur. Cicero⁴⁶⁾ dicit: „Quod nos augures praecipimus, ne juge auspiciam obveniat, ut jumenta jubeant dijungere.“ Haec verba explicantur collatis locis Festi et Dacieri, quorum prior ita dicit: „Juges auspiciam est, quum junctum jumentum stercus facit,“ alter autem ita vult: „Auspiciam viam aut aliud agenti jumentum, alteri jumento vinctum si stercus faceret ex augurum ritibus vitabat auspiciam. Ideoque ne tale auspiciam obveniret, jubebant disjungere.“ At aliter Servius.⁴⁷⁾ „Multi de libris augurum tractum tradunt Juge eis enim dicitur, quod ex junctis jumentis fiat. Observatur enim, ne prodituro magistratui disjunctis bobus plaustrum obveniat.“ Doederleinius⁴⁸⁾ juge auspiciam id quod perpetuum, perenne, peremne auspiciam esse dicit.⁴⁹⁾

V. Inter dira⁵⁰⁾ sc. signa, id est inter signa semper tristia, infesta, metuenda, quasi deorum ira missa habentur pedis offensio,¹⁾ abruptio corrigiae, sternutamenta²⁾ aliaeque res vel voces fortuitae,³⁾ veluti si arbor sponte radicibus cadit, si terra tremit, quod utrumque et tripudium sonivium dicebatur.⁴⁾ Auspicia pedestria et dira quum maximam partem ad privatorum auspiciam numerum referri, tum oblativa esse videntur.

Restat, ut quae his quinque signorum generibus adnumerari non possint auguria commemorem. Sunt illa: auspicia peremnia, ex acuminibus et canaria. Haec omnia jam Ciceronis tempore in usu non fuerunt.⁵⁾

De peremni auspicio ita dicunt scriptores. Festus⁶⁾: „Peremne dicitur auspiciari, qui annem aut aquam, quae ex sacro oritur, auspiciam transit“; et porro⁷⁾: „Petronia⁸⁾ amnis est in Tiberim profluens, quam magistratus auspiciam transeunt, cum in campo quid agere volunt, quod genus auspicii peremne vocatur.“ At ritum Servius⁹⁾ ita describit: „Locus autem iste dictus est secundum augurum morem, apud quos fuerat consuetudo, ut, si post acceptum augurium ad aquam venissent, inclinati (aquae) haurirent exinde (et) manibus et fuis precibus vota promitterent, ut visum perseveraret augurium, quod aquae intercessu dirumpitur.“ Haud scio an vere judicaverim, si conjecturam fecerim, in hoc auspicio adorari solitam esse Annam

36) Liv. X, 40. — 37) Cic. de Div. II, 34, 35. — 38) Hor. Od. III, 27, 4. — 39) Ibid. v. 3; Plin. H. N. VIII, 34. — 40) Hor. Od. III, 5; Cic. de Div. I, 33, 72. — 41) Cic. de Div. I, 35, 77; Liv. XXII, 3; Valer. Max. I, 6, 6. Apud equum et coloris ratio habebatur. Ita ex Marone (Aen. III, 537) apparet, equos candore nivali optimi ominis fuisse. — 42) Paul. Diac. p. 244. — 43) Hor. Od. III, 27, 2. Plaut. Cas. V, 4, 4. — 44) Paul. p. 244. — 45) V. s. — 46) Cic. de Div. II, 36, 77. — 47) Ad Aen. III, 537. — 48) Synon: I, 10. — 49) V. infr. — 50) Dirus, dei ira natus, Fest. s. h. v. — Habicht, (Synon. n. 180) hoc verbum a $\delta\acute{\iota}\omega$ i. e. $\delta\epsilon\acute{\iota}\delta\omega$ ductum putat. Cf. Werth. p. 16, 17. — 1) Val. Max. I, 4, 2. — 2) Front. Strat. I, 12. — 3) Werth. p. 16. — 4) Serv. ad Aen. III, 90. — 5) Cic. de Div. II, 39. — 6) p. 245a. — 7) 250a. — 8) Qui sit Petroniae amnis, ignotum prorsus est; cf. Beck. I, 629. — 9) Serv. ad Aen. IX, 24. —

Perennam. Fuit enim illa nymp̄ha annium¹⁰⁾, a qua voce „annis“ haud dubie et nomen Annae perennae et auspicii perennis ducendum¹¹⁾. Quum annis autem semper fluat, simul preces adhibebantur, ut dea illa jam alioquin accepta auguria perennaret, perennia faceret.

Quod attinet ad augurium ex acuminibus, totum militare fuit¹²⁾. Quatenam vero acumina intelligenda sint, non patet. Dionysius Halicarnassensis¹³⁾ dicit, fuisse summitates verutorum, terrae infixorum, circa quas flammae micantes visae essent. Alii autem acuminantes flammam in ara, ubi sacra facienda erant, alii acumina rostrorum avium suspicantur.¹⁴⁾

Auguria denique canaria a. d. VII. Cal. Majas¹⁵⁾ in Robigalibus agi atque ex extis¹⁶⁾ canum capi solita esse videntur. Hoc enim die Rubigo, deo agresti,¹⁷⁾ rufae canes ad placandum caniculae sidus, frugibus inimicum immolabantur, ut fruges flavescentes ad maturitatem perducerentur,¹⁸⁾ neve robigo, quae tum segetes non raro corripere solet,¹⁹⁾ frumento noceret.²⁰⁾ Verisimile igitur est, augurium id ea de causa captum esse, ut, qualis futura esset messis, exquireretur. Augurium hoc profectum esse videtur a Sabinis. Rubigus enim, quum fuerit e numero deorum agrestium, qui ipsi maximam partem Sabini erant²¹⁾, quum inter deos certos Varronis plerumque Sabinos²²⁾ inveniatur, nec non Numa Robigalia instituerit,²³⁾ quum denique Flamen Quirini, Sabinorum dei, in ipsis Rogalibus victimas immolaverit²⁴⁾ haud dubie inter deos Sabinos numerandus est. Neque minus, quum hoc sacrificium propter Sirii ortum potissimum institueretur, sidera autem inter populos Italos maxime a Sabinis observarentur,²⁵⁾ jure concludi potest, augurium canarium Sabinae fuisse originis.

10) Ov. Fast. III, 633. — 11) Cf. Doederl. Syn. I, 9 seqq. — 12) Cic. de Div. II, 36. — 13) V, 46. — 14) Cic. de Nat. Deor. II, 3; Liv. XXII, 1; XLIII, 13; Arnob. II, 67; Lidus de ostent. 5; cf. Moser. Creuzer. et Giesium ad Cic. de Div. II, 36, 77. — 15) Plin. II. N. XVIII, 29, 69. — 16) Ov. Fast. IV, 936. — 17) Pauly, VI, 483. — 18) Paul. Diac. 45; Ov. Fast. IV, 939; Gell. V, 12; Fest. p. 285a; cf. Columell: de cult. hort. 342, ap. Wernsdorf. Poet. Min. VI, 1, p. 111. — 19) Plin. I. I. — 20) Varro, L. L. V, 3; — Fast. Prenest: cf. Becker, I, 178. — 21) Sabinos jam antiquissimis temporibus praeter ceteros in agriculturam incubuisse, inter omnes constat. — 22) Merkel. Prof. ad Ov. Fast. CXV. — 23) Plin. I. I. — 24) Ov. Fast. IV, 910 seqq. — 25) „Titus Tatius addidit (cultui Romano) Saturnum, Opem, Solem, Lunam, Vulcanum, Lucem.“ Aug. de Civ. Dei, IV, 23.

Scr. Weirowiae m. Jun. a. MDCCCLIX.



CORRIGENDA,



P. 7	v. 7	lege „quae recurrit“	pro „quaerecurrit“
	v. 34	— „Legg.“	— „Leggi.“
P. 10	v. 17	— „augurum“	— „augurum,“
	v. 56	— „24) Dion.“	— „Dion.“
P. 11	v. 37	— „augures“	— „per augures“
P. 12	v. 39	— „mihi“	— „mihi,“
P. 13	v. 11	— „quingentesimo sexagesimo“	— „quingentesimo et sexagesimo“
	v. 40	— „31“	— „81“
P. 18	v. 41	— „Quaest.“	— „Quaerst.“
P. 20	v. 6	— „aves notissimae“	— „ave snotissimae“

